

## **APPENDICES**

Mandat ei, ut eorum cardis Variensis controversiam inter archiepiscopum Gnesensem et episcopum Vindoboniensem componere studeat, ~~et~~ componere studeat.

Arch. Vat., Arm. XLIV Vol. 7 f. 93 cop. rec. - Ed. Michalskana III n. II.

~~1116. Wajp. v. p. 1116.~~  
 Dux: Wchanskia et 1113.

Molste primis vobis fratribus archiepiscopum Gnesensem<sup>1)</sup>  
 et ~~episcopum~~ Vladislavensem<sup>2)</sup> adhuc inter se litigare. Et sane  
 nimis indignum est deo tales viros reperi prelatos tam  
 postremiter de re pacis via contendere. Quam ob rem  
 mandamus tibi, ut una cum dilecto filio nostro Stanislawo,  
 P. R. E. presbytero cardis Variensis appellato, eam  
 controversiam inter eos componere studeas,<sup>3)</sup> comitor  
 utroque etiam nostris verbis hortando, ut pro  
 sedis apostolicae reverentia aliquid de suo iure  
 remittant, eamque rem vestro arbitrio decidendam  
 transigendamque permittant. Tamen quidem  
 deo ut ~~et~~ fraternam inter eos charitatem  
 colere; sed tempus etiam istis Regi porcit,  
 ut nulle omnino res constructionum illorum  
 pateat.

<sup>1)</sup> Jacobus Wchanski. - <sup>2)</sup> Nicolas Holcki.

<sup>3)</sup> Ad nuntium ap. item archiepiscopum Gnesensem remittit card. Hovius scri-  
bens ad d. Keiloberge 20 Junii 1566: - Prorsus iam istis ad esse dicitur  
nuntius ap. vir ut adhuc prudens, doctus et integer illius arbitrio censam sua  
permittat neque dubitet, quin officio boni viri sit functurus (Wchanskiana  
III n. 59). - Item cardis commendens scribet ad d. Keiloberge 1 Junii 1566: - Quod  
nuntius tandem adventavit, gaudet. spero futurum, ut ille, quod erit, ammi merito, graviter  
probatet. Ipe vero nunquam optavit, prius, ut ad me quam ad datum R. veniret, et istas  
res esset in Polonia. Nam enim ea res invidiam mihi inflavit, et occasionem  
novis quibus deus de me suspicandi dedisset. In vero fuerit in Lithuania tum ut prius  
ad me dicerentur cogitarem; nec enim illi multum curat futurum esse.  
(ad Wchanskia, Wchanskiana, Wchanskische 213).

## A. 1.

**Capitulum Cracoviense  
capitulo Gnesnensi**

Cracoviae, 3 X 1566.

*Nuntios se mittere scribunt ad deliberandum de synodo provinciali  
quamprimum convocanda.***Or.:** Gniezno, AAG, Listy, Nr 1573.**Reg.:** Kraków, AKKK, Libri Archivi, ms. 6 p. 594-595 cum data "4 Octobris  
anno 1566" et cum inscriptione: "Ven.li capitulo Gneznseni a capitulo  
Cracoviensi litterae".**-Ed.:** Korytkowski I, p. 383.

Rev.di et Ven.les Domini, Amici et Fratres maiores nobis char.mi at-  
que observandissimi, salutem et perpetuam felicitatem.

Quibus iniuriis quantisque incommodis afficiatur universus ordo noster, nihil nunc attinet privatas omnium vel iniurias vel calamitates recensere, quandoquidem istorum malorum maior in dies fiat redundatio, quam ut ea commemorando enumerare queamus. De his itaque pene infinitis calamitatibus nostris cum in praesentia mutuam deliberationem haberemus, nullum aptius aut convenientius remedium reperire potuimus, quod quidem ad exhaurienda universa haec mala aequè valere existimaremus, quam ut ex auctoritate Sacrosancti Concilii Tridentini Synodus provincialis primo quoque tempore habeatur, quo saepe remedio Christi Ecclesia imminetibus periculis occurrebat et impendentes ex dissidio religionis calamitates evitabat. Quamobrem Rev.das Dominationes V.ras et amanter rogandas et fraterne admonendas esse duximus, ut de edicenda provinciali Synodo cum Rev.mo D.no Archiepiscopo<sup>624</sup> deliberent, agant atque constituent, ne si in longius tempus extrahatur, praesentia haec mala gravioribus multo incommodis cumulentur. Quod quidem futurum esse non tam divinare, quam certo sperare possumus. Nam usque eo quidam Episcopi iam progressi sunt, ut non exspectata Synodo in exsequendis decretis Tridentinis propriam auctoritatem sibi usurpent, et posthabita ea, quam Collegiis nostris Summus Pontifex concessit, prorogatione, quaedam constituta Tridentina arbitrato suo executioni demandent. Ex quo ipsorum facto quid aut exspectare aut sperare debeamus, tacentibus nobis, Dominationes V.rae Rev.dae ipsae per se facile cogitare poterunt.

---

<sup>624</sup> Iacobus Uchański.

Quare, ut ne quid nobis fortunisque nostris deterius eveniat, dum adhuc provideri potest, providendum est. Provideri autem ope Dei poterit, si consentientibus maiorum nostrorum animis et voluntatibus Synodus habeatur, in qua indicenda si forte Rev.mus D.nus Archiepiscopus remissior esse videretur, earum erit curae atque operae, ut Ill.mi D.ni Cardinalis<sup>625</sup> et Rev.mi D.ni Nuntii Apostolici autoritate ad celerius indicendam permoveatur. Quae quidem Synodus, ut nobis religionique christianae bene et feliciter eveniat, ab ipso immortalis Deo, a quo solo omnia bona et recta consilia proveniunt, hoc ardentius omnes petere debemus, quo maiora vulnera esse videmus, quibus mederi praesenti Synodo cupimus. Reliqua ex Rev.dis D.nis Martino Izdbiensi, Custode et Vicario in Spiritualibus<sup>626</sup>, Stanislao Grothkowski<sup>627</sup> et Iacobo Milewski<sup>628</sup>, canonicis et fratribus nostris Cracoviensibus, plenius intelligent. Quorum verbis ut fidem habeant, Rev.das Dominationes V.ras rogamus. Eisdem in Christo Domino diutissime salvae esse optamus. Datum Cracoviae, die tertia mensis Octobris, Anno Christi Domini M<sup>o</sup>D<sup>o</sup>LXVI<sup>o</sup>.

Earundem Dominationum V.rarum Rev.darum

Amici et fratres obsequentissimi  
Praelati, Canonici et Capitulum  
Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis

## A. 2.

### Capitulum Gnesnense capitulo Cracoviensi

Gnesnae, 26 X 1566.

*Respondent ad litteras eorum, 3 X 1566 datas.*

**Reg.:** Kraków, AKKK, Libri Archivi, ms. 6 p. 595-596 cum annotatione: "Responsum ad litteras superdictas a Capitulo Gnesnensi".

<sup>625</sup> Stanislaus Hosius.

<sup>626</sup> Martinus Izdbieński († 1594), ab a. 1551 archidiaconus Posnaniensis, a. 1559 installatus canonicus Cracoviensis, ab a. 1564 canonicus Gnesnensis, a. 1572 administrator dioecesis Cracoviensis sede vacante.

<sup>627</sup> Stanislaus Grotkowski (1510-1573), ab a. 1560 canonicus Cracoviensis, a. 1562 installatus canonicus Gnesnensis.

<sup>628</sup> Iacobus Milewski (†1586), ab a. 1550 canonicus Gnesnensis, a. 1564 installatus canonicus Cracoviensis, a. 1577 administrator dioecesis Cracoviensis nomine epi Petri Myszkowski, ab a. 1579 suffraganeus eiusdem Myszkowski.

Rev.di et Ven.les domini, fratres et amici n.ri char.mi et observandissimi, salutem ac omnia sancta V.ris Rev.dis Dominationibus a Domino Deo.

Calamitates ordinis pene totius nostri, quas Rev.dae Dominationes V.rae suis commemorant litteris, [596] in commune experimur, quibus atque aliis impendentibus periculis quod Rev.dae Dominationes V.rae Synodo Provinciali obviandum censent, imus in eandem cum ipsis sententiam, admonitionemque earum fraternam et curam Reipublicae Ecclesiasticae libenter amplectimur. Induxeramus quoque in animum Rev.mum D.num Archiepiscopum<sup>629</sup>, principem nostrum, eius rei, cuius a V.ris Dominationibus Rev.dis hortamur, admonere, sed nostram admonitionem ipsemet Rev.mus Dominus per Nuntium suum anticipavit. Expetivit namque a nobis consilium de loco et tempore synodi, quam ex sententia Ill.mi D.ni Cardinalis Varmiensis<sup>630</sup> circiter festa Epiphaniarum Domini<sup>631</sup> habere intendit.

Utrumque est, nos pro debito nostro et Rev.darum Dominationum V.rarum admonitioni respondentes, suam Rev.mam Dominationem rogabimus et adhortabimur, ut iam tandem eam ipsam synodum in longiora non reiciat tempora. Contendemus et ab Ill.mo D.no Cardinali precibus, ut auctoritatem suam ad Rev.mum Dominum N.rum et reliquos Rev.mos D.nos Episcopos una cum Rev.mo D.no Nuntio Apostolico interponat et sua praesentia Synodum exornet atque consiliis non deesse dignetur. Quid autem his in rebus hic contulimus, fusius ex Rev.dis Dominis fratribus communibus nostris, qui isthinc venerunt ad nos<sup>632</sup>, accipient. De reliquo Rev.das Dominationes V.ras florissime valere optamus, eorumque nos simili amori et benevolentiae commendamus. Gnesnae, XXVI Octobris, Anno Domini M<sup>o</sup>D<sup>o</sup>LXVI.

Rev.darum Dominationum V.rarum fratres obsequentissimi

Praelati et Canonici totumque Capitulum  
Ecclesiae Metropolitanae Gneznensis

---

<sup>629</sup> Iacobus Uchański.

<sup>630</sup> Stanislaus Hosius.

<sup>631</sup> 6 Ianuarii.

<sup>632</sup> Martinus Izdbieński, Stanislaus Grotkowski et Iacobus Milewski, canonici Cracovienses, cfr.

**A. 3.**

**Citatio Nicolai Wolski  
mandato Iulii Ruggieri  
a Sebastiano Żydowski facta**

Varsaviae, 12 XII 1566.

*Documentum peractae citationis Nicolai Wolski, epi Vladislaviensis, in causa inter eum et aepum Gnesnensem vertente.*

**Autogr.:** Olsztyn, ADWO, D 64 f. 25r.

Anno Domini MDLXVI, die Iovis, XII mensis Decembris, Varschoviae. Ego Sebastianus Zidowsky, clericus Dioecesis Gnesnensis, Sacra auctoritate Apostolica Notarius publicus, vigore praesentium, requisitus, parendo mandatis Ill.mi Domini<sup>633</sup> et Rev.morum introcontentorum Dominorum Commissariorum, a Sede Apostolica specialiter datorum, accedens personaliter Rev.dum in Christo Patrem et D.num D.num Nicolaum Volski, Dei gratia Epum Vladislaviensem, ipsum monui, citavi, requisivi, terminumque, ut intro mandatur, ad diem XXI ab executione, ipsa die executionis exclusa, assignavi, et in vim verae executionis copias citationis eidem tradi, offerens me, in quantum necesse fuerit, instrumentum executionis publicum extraditurum. Praesentibus Domino Palatinide Chioviensi<sup>634</sup> et Doctore Pontificio<sup>635</sup> et aliis. Datum ut supra.

**A. 4.**

**Franciscus Sunyer SJ, viceprovincialis Poloniae  
Francisco Borgia SJ, praeposito generali**

Braunsbergae, 14 XII 1566.

*Significat in colloquiis, Heilsbergae die 27 XI de collegio Societatis Iesu instituendo et de seminario dioecesano Braunsbergae condendo habitis, nuntium arbitratum esse eiusmodi seminarium Iesuitarum administrationi sta-*

<sup>633</sup> Scil. Iulii Ruggieri.

<sup>634</sup> Constantinus Basilius (ca. 1526-1608), filius Constantini, ducis de Ostróg, ab a. 1559 palatinus Kioviensis.

<sup>635</sup> Laurentius Pontificius (de Biskupice), doctor medicinae, magister Universitatis Cracoviensis, canonicus Crusvicensis et Vladislaviensis.

*tim subiciendum esse. Desiderium eius probat, ut catholicis Gedanensibus, quorum civitas fere tota a "protestantibus" incolebatur, concionator Iesuita ex Superiore Germania auxilio mittatur; huic missioni patrem Gregorium (Rossephium) idoneum futurum esse putat.*

**Autogr.:** Roma, ARSI, Germania 147 f. 290r-291v. In f. 276v inscriptio, et vestigia sigilli.

**-Ed.:** Glemma OKDG, p. 103-104 (fragmentum).

Molto Rev.do in Christo Padre N.ro.  
Pax Christi etc.

*De collegio Societatis Iesu instituendo et de seminario dioecetano Braunsbergae condendo.* Ali 27 del medesimo [mese di Novembre] furono trattate le medesime cose dali Canonici in presentia del cardinale in Heylsperga. Et il cardinale a tutte si mostrò promptissimo, excepto il secondo punto, del quale in [291r] niuna maniera volse sentire, cioè che noy ci liberassimo de la cura del Seminario, portando le medesime ragioni che portorono li Canonici. [...] Il nuncio del papa era ancora de la medesima sententia, iudicando che in niuna maniera ci potiamo [sic] escusare di tal cura et che una de le utili opere che la Compagnia possa fare in queste bande sarà questa; il voler io differir la cosa fino ad aver il consenso di la Paternità V.ra era impedire la fundatione et affligere il cardinale et dar che dire anchora ali altri. Et così mi risolse di consentir in quel punto. [...]<sup>636</sup>

[291v] Il legato del papa a toccato una cosa che pare sarà aprire una gran porta per l'agiuto di tutta la Prussia, nella quale Gedano è una città principalissima per un porto che tiene de li più belli che siano in tutta la christianità. Li senatori sonno tutti heretici, et così gran parte del populo li seguita. Et benchè ci siano molti christiani buoni, pur non hanno ardire di publicarsi, et in dui o tre chiese che ci sonno di catholici vanno di nascosto [sic] per non esser visti et monstrati con li detti. Nella città comunemente non ci sonno altri predicatori che heretici, ma tanto fra se divisi et di così mal exemplo che, secondo uno mi disse quando io ero in Gedano, loro stessi dicono che sonno forzati a mutare.

Crede mons. nuncio che quando uno deli nostri potesse liberamente et securamente predicare in quella città, che facesse grande frutto. Et però mi dimandavo che quando luy trattasse col Re questa cosa et col vescovo

<sup>636</sup> Secundum punctum "Constitutionum Seminarium Ecclesiasticum Braunsbergae", die 16 XII a. 1566 latarum, fuit: "De curatoribus Seminarium", cuius vigore, praeter rectorem et Iesuitarum praefectos, etiam curatores, ab episcopo et capitulo cathedrali nominati, regimini seminarium interesse poterant (vide Henryk Gulbinowicz, *Geneza konytucji Hozjańskich Seminarium Duchownego w Braniewie*, "Studia Warmińskie" 5 (1968) p. 43-65.

de Cuyavia<sup>637</sup>, sotto la diocesi del qual sta quella città, che potessi predicare uno de li nostri in quella città, se tenesemo noy apparecchiato un homo docto et sufficiente per detto effecto, che luy procurarebbe che il vescovo a luy et un suo compagno o dui gli facesse le spese. Io gli risposi che di questa cosa ne scriverebbe a la Paternità V.ra et al padre provinciale<sup>638</sup>. A me certo, Padre, mi pare, se non mi gabba l'affetto, che sarebbe in quello luogo grande occasione di glorificar Iddio, quando ci fusse un valente predicatore de li nostri et che sicuramente potesse predicare. Il qual bisognerebbe che fusse Tudesco de la superior Germania, perchè si ben in quella città, et in questa et altre del vescovato, se intende la lengua flandrica, niente di meno è tenuta per effeminata et li homini et nobiltà non la usano.

Credo che sarebbe una utile missione di alcuna persona docta, facunda et bona; et che tal occasione non sarebbe di perdere. Mi occorreva a me bono per questo il padre Gregorio<sup>639</sup>, quello che già un tempo con molta sodisfatione predicava in Vienna, o qualsivoglia altro che paresse a la Paternità V.ra. Et forsàn potrebbe stare sotto la obedientia del rectore di Braunsperga<sup>640</sup>, sendo che di là fino a Gedano non ci sonno più de 21 miglia tudesche. La Paternità V.ra mi faccia dar aviso di quello che ho di rispondere al legato.

Con altra scriverò stesamente del stato dil collegio di Braunsperga, che adesso, per non haver più tempo non mi posso più stendere. Ci raccomandiamo tutti humilmente ali sancti sacrifici et orationi de la Paternità V.ra. Di Heylsperga, ali 14 di Decembre 1566.

Di V.ra Rev.da Paternità

indegno servo in Iesu Christo  
† Francesco Sunyer †

---

<sup>637</sup> Nicolaus Wolski.

<sup>638</sup> Laurentius Maggio (1531-1605), rector collegii Societatis Iesu Vindobonae, annis 1566-1578 praepositus Iesuitarum provinciae Austriacae, cui ad a. 1574 Iesuitae Poloni subiecti erant.

<sup>639</sup> Gregorius Rossephius (Wolfschädl, 1538-1623), annis 1560-1563 concionator Vindobonae floruit, postea annis 1600-1609 provincialis Superioris Germaniae. Praepositus generalis Franciscus Borgia petenti Francisco Sunyer non satisfacit (vide Glemma OKDG, p. 12-14).

<sup>640</sup> Christophorus Strobel (1536-post 1574), de provincia Rhenana, primus rector collegii Societatis Iesu Braunsbergae; a. 1574 ad Ordinem sancti Benedicti transivit.



## A. 5.

**Citatio Iacobi Uchański  
mandato Iulii Ruggieri  
a Sebastiano Żydowski facta**

Lovicii, 16 XII 1566.

*Documentum peractae citationis Iacobi Uchański, aepi Gnesnensis, in causa inter eum et Nicolaum Wolski, epum Vladislaviensem, vertente.*

**Autogr.:** Olsztyn, ADWO, D 64 f. 25v cum annotatione: "Ex Cancellaria Apostolica nuncii. Citatio in Aepum Gnesnensem".

Anno Domini MDLXVI, Die vero Lunae, 16 mensis Decembris, Lovicii.

Ego Sebastianus Zidowsky, clericus Dioecesis Gnesnensis, Sacra autoritate apostolica Notarius publicus, vigore praesentium, requisitus, parendo mandatis Ill.mi Domini et Rev.morum introcontentorum D.norum Commissariorum a Sede Apostolica specialiter datorum, accedens personaliter Rev.mum in Christo Patrem et D.num Dominum Iacobum Uchansky, Dei gratia Aepum Gnesnensem, ipsum monui, requisivi et citavi, terminumque, ut intro mandatur, ad diem XXI ab executione, ipsa die executionis exclusa, assignavi et in vim vere executionis copias citationis eidem tradidi, offerens me, in quantum necesse fuerit, instrumentum executionis publicum extraditurum. Praesentibus D.no Ioanne Pakoszewski<sup>641</sup> et Francisco Lypski<sup>642</sup> atque aliis.

Datum Lovicii, die 16 mensis Decembris, Anno Domini MDCLXVI.

Sebastianus Zidowski manu propria scripsit.

---

<sup>641</sup> Ioannes Pakoszewski in Catalogo praelatorum et canonicorum Gnesnensium, a Ioanne Korytkowski edito, non invenitur.

<sup>642</sup> Franciscus Lipski (1537-1618), cancellarius apud avunculum suum Iacobum Uchański, a. 1572 ad canonicatum Gnesnensem, brevi post ad archidiaconatum Lancieniensem evectus.

## A. 6.

**Aepus Iacobus Uchański**  
**card. Stanislao Hosio**

Lovicii, 24 I 1567.

*Dubia, an rex informandus sit de synodo provinciali celebranda, exponit et sententiam eius de modo, quo celebrari debet, expetit.*

**Or.:** Kraków, BCz 1609 IV p. 43. In p. 44 inscriptio, vestigia sigilli et annotatio: "redditae 28 Ianuarii 1567, responsum 30 Ianuarii Heilsbergae". Epistula haec scripta esse videtur una cum praecedenti eam in codice, propterea quod neque salutationem in initio, neque subscriptionem in fine habet.

**-Ed.:** Wierzbowski U III, p. 169-171.

Post exaratas litteras, melius deliberato visum est, ne forte quocumque casu litterae per puerum Dembowski<sup>643</sup> ad perferendum meis mandataris datae interciderent, quod in illis praecipuum fuit adhuc repetere, videlicet quod per D.num Radogoski<sup>644</sup>, Secretarium suum, Sacra Regia Maiestas mihi significari voluit, ut non nisi unanimi consensu Rev.morum D.norum Episcoporum Synodum indicerem, et ubi consensum eorum habuerim, Suae Maiestati nuntiarem, tunc se Sua Maiestas suum Nuntium de more missuram ad Synodum promisit. Qualis vero consensus Rev.morum ipsorum Dominorum fuerit, toties per me requisitus et expeditus, iam Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra ex his, quae Mandatarii mei retulerunt et monstraverunt, satis cognovit. Quomodo autem de Rev.morum D.norum Episcoporum atque mea unanimi voluntate Sacram Regiam Maiestatem, et imprimis de mandato Ss.mi Domini Nostri et mente Ill.mae ac Rev.mae Dominationis V.rae ac Rev.mi Apostolici Nuntii certiosem faciam, in tanta sententiarum diversitate rationem certe apud me non invenio, cum et Barnabas quidam<sup>645</sup> iam nunc in eandem simulationem discesserit, sicut ex litteris per meos ostensis Rev.ma Dominatio V.ra abunde iam intellexit. Atque si ita, ut res se habet, Suae Sacrae Maiestati significarem, metuo, ne ansam praeberem ad deteriora. Secus autem, quam se res habet, fortasse non licet neque expedit Suam Maiestatem informari, prout id Ill. ma et Rev.ma Dominatio V.ra longe melius perspicit.

<sup>643</sup> Forte Andreas Dębowski, vide N. 39.

<sup>644</sup> Ioannes Radogoski, cfr. supra, N. 31.

<sup>645</sup> Forte Andream Noskowski, epum Plocensem, in mente habet, qui propter provectam aetatem suam ad synodum venire noluit (cfr. Wierzbowski JU, p. 366).

De articulis ad Synodum proponendis modus ab Ill.ma et Rev.ma Dominatione V.ra et Rev.mo D.no Nuntio Apostolico mihi perscriptus vehementer placet. Ita quodocunque integrum fuerit arbitrato Ill.mae et Rev.mae Dominationis V.rae cum Rev.mo [D.no] Nuntio Apostolico in litteras, tam oclusas quam publicas, processus nuncupatas, non cunctabor neque negligam inserere loco suo. Sed oro et obsecro, ut his omnibus, quae iam scripsi antea, nuntiavi ac demonstravi, pro sua sapientia appensis et examinatis, tandem mihi iudicium suum et voluntatem declarare dignetur et informare me, quid, qua ratione, quoque ordine aggrediendum et progrediendum mihi sit hoc negotium Synodi, et quo modo in eo procedendum, ut non frustra et cum invidia multorum indici et, quod Deus avertat, postea impedi, dissipari seu interrumpi possit; quod aliquoties iam magno dolore nostro, nec minori dedecore et iactura plurimarum bonarum rerum experti sumus. Exspecto planum, resolutum et ultimum in hac causa Synodi responsum ab Ill.ma et Rev.ma Dominatione V.ra et Rev.mo D.no Nuntio Apostolico. Nam quod attinet meas et meorum causas, cum Rev.mo Cuia-  
viensi controversas<sup>646</sup>, confido in Domino et in Ill.ma et Rev.mis Dominationibus V.ris, quod idem, quae nuper etiam in finem sapiant, et si quis eas conturbat, portabit iudicium, quicumque est ille. Iterum atque iterum me et obsequia mea Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris accuratissime commendo. 24 Ianuarii 1567.

#### A. 7.

**Sigismundus Augustus rex Poloniae  
Pio V pontifici maximo**

Cnissini, 30 I 1567.

*Modernum epum Victorinum Wierzbicki in locum nuper defuncti epi Lu-  
ceoriensis Ioannis Wierzbicki se nominasse nuntiat. Petit, ut sua nominatio  
confirmetur.*

**Or.:** AV, Lett.Principi 31 f. 362v-363r. In f. 362r sigillum et inscriptio.

Ss.me et beatissime in Christo Pater.

Post oscula pedum beatorum, regnique mei et dominiorum meorum  
commendationem. Cum nuper mortuus esset in Domino Rev.dus olim Io-

---

<sup>646</sup>Cfr. N. 17, 24-29, 31, 38.

annes Andruschowycz, Epus Luceoriensis<sup>647</sup>, Magni Ducatus mei Lithuaniae, cupiens pro officio meo prospicere, ne Ecclesia Luceoriensis diutius suo pastore careret, nominavi in locum defuncti ad dictam Ecclesiam Luceoriensem, pro more et consuetudine ac legibus iam pridem in Regno meo observatis, Rev.dum in Christo patrem Victorinum Wyerzbyczki<sup>648</sup>, Epum Mednicensem modernum, virum in Magno Ducatu meo Lithuaniae nobili et clara familia natum ac singulari probitate, sinceritate, morum et vitae mansuetudine praeditum, quique in administranda dicta Ecclesia Mednicensi, cui hactenus praefuit, et in omnibus Reipublicae negociis ac senatoriis functionibus ita fidem, virtutem, integritatem, vigilantiam et industriam suam ac in religione catholica constantiam mihi et Reipublicae probavit et declaravit, ut quem in hoc genere illi anteferre possim, habeam neminem.

Quamobrem supplico Sanctitati V.rae, ut hanc meam nominationem ratam et gratam habere illamque authoritate sua pontificali, qua in terris secundum Deum maxima fungitur, approbare et confirmare velit. Ita quidem, ut absoluto primum ipso Rev.do Victorino Wyerzbiczky ab eo vinculo, quo prius Ecclesiae Mednicensi copulatus et addictus fuerat, eum deinde ad Ecclesiam Luceoriensem vigore nominationis huius nostrae transferat et Epum Luceoriensem declarari faciat. Qua in re ut nulla interponatur mora, Sanctitatem V.ram maiorem in modum rogo. Permultum enim interest et Ecclesiae huic et Ducatus mei rationibus, ut quam primum hoc negotium perficiatur. Quod quidem Sanctitatem V.ram pro officio suo ac in Ecclesiam Dei studio non gravatim facturam confido. Cuius paternae benevolentiae me et regnum ac dominia mea diligenter commendo, illamque bene ac prospere valere et omni felicitatis genere florere cupio. Datum ex oppido meo Knischin Magni Ducatus mei Lithuaniae, die trigesima mensis Ianuarii, anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regni vero mei trigesimo septimo.

(<sup>a</sup>-Sigismundus Augustus Rex Poloniae  
manu propria subscripsit<sup>a</sup>)

<sup>a-a</sup>) *Autographum.*

---

<sup>647</sup> Ioannes Andruszkiewicz († 1566/1567), annis 1546-1556 epus Kioviensis, ab a. 1556 Luceoriensis.

<sup>648</sup> Cfr. N. 57, 70, 87, 94 et infra A. 8, A. 13.

## A. 8.

**Sigismundus Augustus rex Poloniae  
Pio V pontifici maximo**

Cnissini, 19 II 1567.

*Petit, ut nominationem Georgii Pietkiewicz ad episcopatum Mednicensem, per promotionem Victorini Wierzbicki ad ecclesiam Luceoriensem vacantem, confirmet, data facultate duo sacerdotia retinendi.*

Or.: AV, Lett.Principi 31 f. 364v-365r. In f. 364r sigillum et inscriptio.

Beatissime Pater. Post oscula pedum beatorum, plurimam salutem Sanctitati V.rae precor meque ac mea dominia commendo.

Proximis iisce diebus Epus Luceoriensis, Rev.dus olim Ioannes Andruszewic, in Magno Ducatu Lituaniae, e vivis sublatus est. In cuius demortui locum Rev.dum Victorinum Wirzbiczki, Epum Mednicensem, dignum eo munere nominavi<sup>649</sup>. Ne autem et Mednicensis Episcopatus suo pastore diutius careret, pro officio meo cupiens Ecclesiae Dei in omnibus terris Dominiorum meorum prospicere et bene consultum esse, ad eundem Episcopatum per sublimationem vacantem, quem magis idoneum suffici posse existimarem, non video, quam Georgium Petcovium, eiusdem Ecclesiae Mednicensis Canonicum et in ea Provintia natum, in qua Episcopus esse per Patr[i]ae leges antiquitus observatas non licet nisi indigenis ipsisque nobilibus. Cui accessit praeterea ad non vulgare ingenium doctrina et eruditio, cum alias, tum Patavii et Ferrariae multis annis audiendis doctissimis bonarum litterarum professoribus acquisita, ubi et Doctoratus insignia et gradum consecutus est. Accessit et collegarum favor et suffragium a nobis sibi hunc Episcopum dari expetentium, atque etiam intercessio omnium Provinciarum Magni Ducatus Lituaniae Legatorum in proximis comitiis celebratis. Praeter haec accesserunt ingenui mores et vitae integritas. Quare, cum omnia pro eo faciant, quae in iisce nostris Regionibus Episcopum habere oportet, peto a Ss.mo Domino Nostro, eum autoritate sua benigne confirmet ac in episcoporum ordinem referat.

Quoniam autem ille Episcopatus Mednicensis non tantis censetur fructibus, qui ei pro dignitate alendo sufficere possint, cum Episcopi omnes nostri senatoria quoque dignitate fungantur, saepeque nobis de Republica deliberantibus adesse habeant necesse, circumducant praeterea secum ac alant sui a contemptu vindicandi gratia familiarem ex Nobilibus lectum comitatum, more institutoque apud nos veteri, viros quoque doctos in aulis

<sup>649</sup> Cfr. A. 7.

suis, hoc praesertim tempore, quo haereticorum dogmatibus dementatae sunt hominum mentes, servent oportet, si suam Ecclesiarumque auctoritatem ac dignitatem retinere velint; itaque non minus a Sanctitate V.ra peto, ut sacerdotia duo eiusdem Diocesis [sic] coniunctim cum Episcopatu possit retinere ratione praedictorum, quemadmodum et superiores Episcopi solebant, rigoremque eius, quae in proximo Tridentino Concilio lata est, legis in eo Episcopatu ne produci patiatur, in quo Episcopi maioribus quam in aliis fere partibus impendiis subiecti sunt. Cuius rei rationem habituram Sanctitatem V.ram certo mihi persuadeo, confisus illius de omnibus orbis partibus paternae sollicitudini. Commendo iterum atque iterum me Dominiaeque mea Sanctitati V.rae. Quam ut Deus Ecclesiae suae diutissime servet incolumem, precor. Datum in Knyszyn, XI Kalendas Marci, anno a partu Virgineo M.D.LXVII, Regni vero nostri XXXVII.

Eiusdem Sanctitatis V.rae observantissimus filius

(<sup>a</sup>-Sigismundus Augustus Rex Poloniae  
manu propria subscripsit<sup>a</sup>)

<sup>a-a</sup>) *Autographum.*

## A. 9.

**Valentinus Kuczborski**  
**Martino Cromero**

Heilsbergae, 20 II 1567.

*Scribit ei de causa inter aepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem mox iam sopienda; de nuntio apostolico quidque is de Martino Cromero sentiat; de canonicatu Bartholomaei Plemięcki.*

**Autogr.:** Kraków, BJ, ms. 28 I f. 304r-305v. In f. 305v inscriptio, sigillum et annotatio: "21 Marti".

Rev.me Domine, Pater, confrater observandissime. Salutem et obsequiorum commendationem.

Agitur nunc causa inter Rev.mos D.nos Archiepiscopum et Cuiaviensem Episcopum<sup>650</sup>. Utraque pars ad concordiam se promptam ostendit,

---

<sup>650</sup> Cfr. supra A. 3, A. 5.

sed una petit pecuniam, alia verba dat et ratas, ut vocant, solutionis concedi sibi postulat. Domini Commissarii, ne vel utramque vel alteram saltem offenderent, neve concordiam abrumperent, iurisdictionem suam produxerunt ad dies 15. Interea utraque pars ad suum principalem referet de tempore solutionis. Iam Cotarski<sup>651</sup> quinque millia se persoluturum pollicetur, 3 pro festo Dominici proximo<sup>652</sup>, reliquum vel pro alio festo Dominici vel alio termino breviori. Archiepiscopi vero mandatarii instant, ut pro Dominica Laetare<sup>653</sup> pars dimidia, reliquum pro Pascha<sup>654</sup> solvatur. Commissarii incedent fortasse media via, sed noluerunt tamen hoc tentare insalutata utraque parte. Et ideo Rev.mus D.nus Nuntius, qui iam erat die crastina discessurus in Poloniam, manebit adhuc nobiscum ad 15 dies, ut postquam uterque mandatarius a suo principali informationem acceperit, aliquid in ea causa statui possit. Ad Episcopum etiam Plocensem<sup>655</sup> scriptum est, quod ille se facturum pollicebatur, ut in hunc usum det mutuo pecuniam Rev.mo Wladislaviensi cum petierit, quo celerius ea ineatur concordia.

[304v] Nos ad Comitata Mariana<sup>656</sup> cras discedimus. Rev.mus D.nus Nuntius prosequetur Cardinalem Brunspersgam usque et ibi eius reditum expectabit. Magister Symon<sup>657</sup> fuit nuper apud Nuntium, sed post primum congressum, cum ille apostatam istum esse ex Divi Thomae<sup>658</sup> sententia comprobasset, insalutatis omnibus, nec viso Cardinali, discessit. Nusquam se Iesuitam, sed alumnum Iesuitarum vocat. Vehementer illi a Lutheranismis metuimus. Incipit enim Pontifices Romanos heresis et vitae impuritatis incessere, qui solet proximus esse gradus ad heresim. Quo nunc se receperit, ignoramus.

Rev.mus D.nus Nuntius quo sit erga Rev.mam Dominationem V.ram animo, nescio, sed in ea sententia esse videtur, ut putet illam suis sacerdotiis metuere et propterea Synodum nolle. Nam ea de re semel cum Cardinali egit et dixit: Putant, inquit, quod ego velim auferre illis sacerdotia, non me intellexit Cromerus, immo si quis eis vellet auferre, ego prohiberem et eos defenderem. Itaque cum nunc hoc, nunc illud loquatur, nec fere sibi constet, difficile est ex eo quid velit vel quo sit animo cognoscere<sup>659</sup>.

<sup>651</sup> Benedictus Kotarski, mandatarius epi Wladislaviensis, vide supra N. 43.

<sup>652</sup> 4 VIII.

<sup>653</sup> Domenica IV Quadragesimae, quae a. 1567 incidit in diem 9 III.

<sup>654</sup> 30 III 1567.

<sup>655</sup> Andreas Noskowski, vide supra N. 42.

<sup>656</sup> De comitiis Prussiae, Marienburgi celebrandis, agi videtur.

<sup>657</sup> Simon Hagenau (cfr. N. 24).

<sup>658</sup> S. Thomas Aquinas.

<sup>659</sup> Die 22 III 1567 Ioannes F. Commendone scripsit Stanislawo Hosio: "Dissidere istic Nuntium Apostolicum et Cromerum nostrum et exercere inter se similitates multorum litteris nuntiatum est. Id mihi accidit permoleste, qui Cromerum feci semper plurimi et Apostolicum Nuntium deserere ab illis, quibus fulciri deberet, perniciosum puto. Non dubito, quin Dominatio V.ra Ill.ma, cuius apud utrunque antiquissimam esse auctoritatem scio, operam datura sit, ut reconcilientur studiaque ad commune commodum istarum rerum coniungant. Illam rogo, ut quid agatur istic ad me perscribi

[305r] Scriptum est illi ex Urbe Plemetium<sup>660</sup> non esse eligendum ad Canonicatum, sed assumendum vigore Coadiutoriae. Causam addit Tici-nus<sup>661</sup>, quod Ecclesia Varmiensis non includatur in Concordatis Germa-niae. *De rebus privatis Cromeri disserit.*[305v] Ex Heilsperga, 20 Februarii 1567.

## A. 10.

### **Sigismundus Augustus, rex Poloniae Pio V pontifici maximo**

Varsaviae, 23 VI 1567.

*Petit, ut nominationem Stanislai Karnkowski in epum Vladislaviensem confirmet.*

**Or.:** AV, Lett. Principi 31 f. 368v-369r. In f. 368r sigillum, in f. 368r-v inscrip-tio et in f. 369v annotatio: "Il Re di Polonia a 24 di Giugno 1567. Memo-ria alla Chiesa d'Vladislavia il Referendario Carnicoski".

**-Ed.:** Ehrenberg UA, p. 240-241.

**-Ed.:** Wierzbowski MDP I, p. 132.

Beatissime pater et domine domine clementissime. Post oscula *etc.*

In locum Rev.di olim in Christo patris, D.ni Nicolai Wolski, Epi Wladi-slaviensis, qui in Martio proximo mortuus est<sup>662</sup>, renuntiavi hoc tempore Ven.lem Stanislauum Carnowski, Iuris Utriusque Doctorem, Cantorem Gnesnensem, Scholasticum Lancitiensem, Canonicum Cracoviensem et Curiae meae Secretarium maiorem ac Referendarium<sup>663</sup>. Qui nobilissimis domi suae procreatus parentibus, cum primam aetatem, partim in nostris, partim in Italicis scholis versatus, in his artibus pr[ofecis]set<sup>a)</sup>, quibus aluntur animi hominum ad haec eiusmodi Ecclesiarum munera in Repu-blica cum dignitate sustinenda, ita deinde doctrinam quidem ac eruditio-nem suam omnibus gymnasiis in quibuscumque vixit, virtutem autem, mo[dest]iam<sup>a)</sup>, dexteritatem reliquasque animi ac ingenii sui dotes primum Rev.mo olim in Christo patri D.no Ioanni Przerebski, Aeopo Gnesnensi, do-

---

iubeat" (or. Olsztyn, ADWO, D 24 f. 21r). Postea tamen ipse Martinus Cromerus Stanislauum Hosium fecit certiore: "cum nuntio sibi bene convenire" (autogr. Hosii, datum Heilsbergae 9 I 1568: Kraków, BJ, ms. 60 III p. 1015).

<sup>660</sup> Bartholomaeus Plemięcki, cfr. N. 33, 57.

<sup>661</sup> Georgius de Tyczyn (ca. 1510-1586), ab a. 1548 usque ad mortem "agens" regius apud Sedem Apostolicam Romae commorabatur, ab a. 1560 secretarius regius.

<sup>662</sup> Nicolaus Wolski obiit die 3 III a. 1567, vide supra N. 49.

<sup>663</sup> Cfr. supra, N. 61, 63, 65 et infra, A. 14.



nec is in aula mea Vicecancellarii munere functus est<sup>664</sup>, deinde vero mihi quoque iam in hoc isto Secretariatus maioris et Referendariatus munere approbavit, ut dignus mihi maxime sit visus, in quem hunc Episcopatum Wladislaviensem, qui primo Episcopatu in Regno meo proximus est, conferrem, sperans ipsum et [pr]opriis<sup>a)</sup> quidem nixum virtutibus, et praeterea patrum sui vestigiis insistentem, qui ante XXX annos eidem episcopatu Vladislaviensi, cum laude praefuit<sup>665</sup>, tam Ecclesiae Episcopum, quam Reipublicae ipsi Senatorem magis at[que magis]<sup>a)</sup> utilem fore atque idoneum.

Commendo illum magnopere Sanctitati V.rae, ab eaque peto et quaeso, ut renuntiationem hanc meam ratam habere, eamque auctoritate sua confirmare velit. Sic enim sibi Sanctitas V.ra persu[adeat]<sup>a)</sup>, cum omnes Ecclesiae in Regno meo pastore suo indigeant, tum praecipue Ecclesiae istius Wladislaviensis eas esse rationes, ut omnibus iis incommodis, quibus Ecclesiae hoc tempore obiectae ac expositae sunt, magis omnino pre[matur]<sup>a)</sup> quam ulla alia Ecclesia in Regno meo. Habet enim Dioecesi suae adiunctam Pomeraniam, quae propter vicinitatem Germanicarum provinciarum plus etiam eius luis contraxisse videtur, quae Ecclesias hoc tempo[re] p[er]vagratur<sup>a)</sup> <sup>666</sup>. Quo etiam libentius feci, ut huic in tam periculoso loco positae Dioecesi eum hominem praeponerem, qui mihi, cum multis aliis ex virtutibus charissimus, tum vel maxime propter religionem et pie[tate]m<sup>a)</sup> commendatissimus existit. Pergratum mihi et Ecclesiae illi peropportuno Sanctitas V.ra fecerit, si illum quam primum confirmatum esse voluerit. Quod non dubito Sanctitatem V.ram facturam esse. Quam optime valere cupio, cuique me ac Regnum et Dominia mea omnia etiam atque etiam commendo. Datum Varshoviae, die XXIII mensis Iunii, anno Domini MDLXVII.

Eiusdem Sanctitatis V.rae obsequentissimus filius

(<sup>b</sup>-Sigismundus Augustus Rex Poloniae  
manu propria subscripsit<sup>-b)</sup>)

<sup>a)</sup> *Charta lacerata.*

<sup>b-b)</sup> *Manu ipsius regis.*

---

<sup>664</sup> Ioannes Przerembski (ca 1519-1562), vicecancellarius regni ab a. 1552, ab a. 1559 aepus Gnesnensis, primas Regni Poloniae.

<sup>665</sup> Ioannes Karnkowski († 1537), a. 1527-1531 epus Premisliensis, a. 1531-1537 epus Vladislaviensis.

<sup>666</sup> Id est protestantismi.

## A. 11.

**Card. Stanislaus Hosius**  
**card. Ioanni Francisco Commendone**

Heilsbergae, 23 VI 1567.

*Notum facit se frequenter ad eum scribere; rem Crausensem et legationem nondum esse expeditam; de synodo provinciali celebranda omnino taceri; ad comitia regni forte adhuc se esse profecturum; rumores de dissidiis inter nuntium apostolicum et Martinum Cromerum non veros esse; de rebus Regiomonti gestis. Causam Valentini Kuczborski, qui catechismum iam absolvit, iterum commendat. De opere sibi imposito queritur.*

**Or.:** olim in Città di Castello, AMG, ms. 51 f. 188r-189v (hodie non invenitur).

Quod raras meas accipit, mirari satis non possum, cum vix ullam scribendi occasionem praetermittam. De Crausensi re<sup>667</sup> mihi Ticinus<sup>668</sup> nihil misit. Videntur haec bona prope denuo vendi, tanta pecunia exigitur. Cum tamen quidquid ex eis bonis pecuniae provenerit, in pias causas omne convertatur, nisi ducatus ungaricos 30. Si poterit expediri negotium, bene est, sin minus, et haec pecunia peribit, quod isthic inusitatum non est. Nihilominus pro navata opera magnam habeo gratiam Ill.mae Dominationi V.rae. Sed nec legatio<sup>669</sup> expedita est. Si esset in iis fides, in quibus esse debebat, non laboraremus.

De Synodo videbatur iam sententiam Nuntius mutasse, nec eam amplius urgere velle, sed aliud ex Ill.mi Card. Alexandrini litteris cognovisse videor. Antequam Comitia fuerint absoluta, non potest haberi. Nunc nihil de ea tractari nec ullam fieri mentionem audio. Mihi deliberatum erat ad Comitia proficisci, sed sub eorum finem, et ut id facerem, urgebant vehementer harum terrarum Consiliarii, sed mihi tamen data est potestas in Dioecesi mea permanendi, qua fortassis utar. Nam non video, quem sit fructum in illis allatura praesentia mea, cum quomodo res agantur, Ill.ma Dominatio V.ra non ignoret. Metuo, ne quis meam hanc absentiam sic interpretetur, quasi vel sumptus vel molestias et labores vel pericula defugiam, sed hoc Ill.ma Dominatio V.ra certo sibi persuadere potest, quod me nihil horum deterreret, si qua spes rei bene gerendae affulgeret, quod etiam ut alii sibi de me persuadeant, illius opera perfici velim; quanquam

<sup>667</sup> Bona Krausen Stanislaus Hosius vendere volebat, ut seminarium clericorum dotaretur, sed capitulum huic consilio diu consentire renuit (vide Eichhorn II, p. 284-285).

<sup>668</sup> Georgius de Tyczyn.

<sup>669</sup> Legatio dioecesana, cfr. Eichhorn II, p. 284-285.

si duraverint aliquamdiu Comititia<sup>670</sup>, fieri potest, ut adhuc ad ea proficiscar.

De dissidiis et simultatibus inter Nuntium et Cromerum unde nata sit fabula, mirari satis non possum<sup>671</sup>. Fuit apud me Cromerus menses aliquot una cum Nuntio. Est ita, quod non semper inter eos conveniebat, quod aliud hic, aliud senserit ille, sed nihilominus eum qui debebatur Nuntio apostolico honorem illi semper habuit. Et mihi quandoque diversum ab illo sentire contigit, sed haec opinionum dissensio nullam animorum disiunctionem peperit. Audio nunc desiderari Lypomanos<sup>672</sup> et Commendonos, nos vero, qualescunque mittantur, eam nihilominus quam par est illis reverentiam exhibebimus.

Novarum rerum quod scribam nihil habeo. Regiomonti simul habita sunt synodus et comitia. Creati sunt aposcopi<sup>673</sup> duo, doctrina Osiandri condemnata est<sup>674</sup>. Calvinistas, quoniam defendit numerus iunctaeque ambone phalanges, aposcopi aggredi ausi non fuerunt, intactos eos reliquerunt. E scheda litteris inclusa, quid ea de re mihi Regiomonte scriptum est, cognoscet. Calvinistae multi commigrasse Dantiscum ex inferiore Germania feruntur. Metuo, ne nobis turbas dent aliquas. Regni comitia sunt qui dicant iam absoluta, sunt qui longius extracta iri putant. Turcarum tyrannus ultro pacem nobis offert.

Cusborii causam quod sibi commendatam habet, ago gratias<sup>675</sup>. Iam is catechismum absolvit<sup>676</sup>, quem ego fideliter et eleganter versum esse iudi-

<sup>670</sup> Hoc tempore comitia Petricoviensia iam absoluta sunt (ante diem 20 VI 1567).

<sup>671</sup> Vide A. 9. Martino Cromero Stanislaus Hosius retulit de die Heilsbergae 26 IV 1567 etiam aepum Iacobum Uchański: "nonnihil de Nuntio queri" (autogr. Kraków, BJ, ms. 60 I, p. 38).

<sup>672</sup> Aloisius Lippomano, a. 1555-1557 nuntius apostolicus in Polonia, vide R. 1, cap. X, notam 472.

<sup>673</sup> Paronomastice pro "episcopi". Electi sunt: Ioachimus Mörlin, epus Sambiensis, et Georgius Venediger, epus Pomesaniensis.

<sup>674</sup> Andreas Osiander (1498-1552), administrator episcopatus Sambiensis et professor theologiae Universitatis Regiomontanae, cuius doctrina catholicae propior erat quam reliquorum Lutheranorum. Docebat enim inter cetera iustificationem hominis fieri non per meritum Christi imputationem, sed per realem "habitationem" in homine iustitiae divinae. Asserebat praeterea absolutionem a peccatis per sacerdotem factam remissionis peccatorum conditionem esse.

<sup>675</sup> Quale fuerit hoc negotium, patet ex Actis Capituli Cracoviensis (Kraków, AKKK, ms. 6, f. 125v), ubi sub die 24 IX 1568 legitur: "Rev.do domino Valentino Kuczborski, archidiacono Pomeraniae, canonico Cracoviensi, diligentius petente, ut quandoquidem lis, actio et controversia, quam cum adversario suo ven.li domino Paulo Sthempowski, secretario et oratore apud Ss.mum Dominum Nostrium Regiae Maiestatis, et super canonicatu et praebenda sua Cracoviensi fundi Thopolia in Curia Romana motam, introductam et indecisam pendentem habuit, extincta iam et sopita esse morte ipsius adversarii domini Sthempowski, nuper Mediolani interveniente, censeri debet, dignarentur se ad ingressum capituli et participationem omnium distributionum ecclesiae et quarumvis obventionum capitularium domini admittere, cooptari et restituere. Et in continenti pro verificationis allegationis suae exhibuit litteras quasdam misiles [sic] Roma ad se de morte praefati domini Sthempowski et de surrogatione sua in ius defuncti impetrata etc. scriptas: Petrus etc. ut supra. Et rev.di domini, audita petitione praefata, quamvis statutum de duobus pluribusve litigantibus, quod quidem in talibus casibus semper observari est solitum, ei opposuerunt, verum examinato diligentius toto hoc negotio, compererunt casum hunc ipsius domini Kuczborski cum Sthempowski defuncto diversum esse et cum verbis statuti praefati illiusque sensu plurimum discrepantem. Atque ita pluralitate suffragiorum ip-

co. Dignus mihi videtur, cuius isthic ratio habeatur saltem in hoc, ut ei litigare necesse non sit, quo possit animo quietiore sacrarum litterarum studiis operam navare, quod Ill.mus card. Sabellus<sup>677</sup> curaturum se promiserat. Quaeso, ut eum huius promissi per occasionem commonefaciat, simul ei obsequia mea deferat. Quod scribit Ill.ma Dominatio V.ra non esse in illius potestate, quo mihi munus aliquod imponatur, efficere, iam est impositum, et quidem gravius quam quod humeri mei ferre queant<sup>678</sup>. Deprecatus illud sum, sed urget nihilominus Ill.mus card. Alexandrinus<sup>679</sup>. Mihi vero quid aliud quam iussa capessere fas est. Melior est obedientia quam victima<sup>680</sup>.

## A. 12.

### Pius V, pontifex maximus Sigismundo Augusto, regi Poloniae

Romae, 5 VII 1567.

*Petit vehementer, ut e Poloniae regno eiciat Andream Dudith, epum Quinqueecclesiensem, qui a catholica religione defecit.*

**Min.:** AV, Arm. 44, ms. 7 f. 242r-v, cum subscriptone in f. 243v: "Minuta brevis ad Regem Poloniae sub die V Iulii 1567. Pog[gia]ni".

sum dominum Kuczborski ad ingressum capituli et perceptionem omnium distributionum et iurium capitularium admittendum et restituendum putaverunt, ita ut praesenti decreto restituerunt, idque tamen ita, ut statutum in suo robore et integritate remaneret, et domini salvi esse possint in ipsorum conscientis, secuti recens rev.di domini doctoris Petri a Poznania canonici Cracoviensis etc. in casu non plane dissimili exemplum, sex mensium spacium, intra quod de litteris surrogationis suae in ius defuncti simulque et singrapham, contra omnes et singulos intrusos et sua communiter vel divisim interesse putantes obtentam, exhibere et in forma probante producere teneatur, ei praefixerunt. Alioquin ubi id ipse dominus Kuczborski facere aliquomodo neglexerit, extunc ad restitutionem omnium et singulorum perceptorum mensae capitulari tenebitur, prout se ibidem protinus ad acta praesentia coram me notario publico et testibus infrascriptis manu stipulata inscripsit et obligavit. Porro de gratia eiusmodi dominorum d. Kuczborski contentus suis dominationibus rev.dis condignas egit gratiarum actiones. Praesentibus honorabili et discreto Ioanne Colo, vicario huius ecclesiae, et Sebastiano Chmieliowski studioso testibus. Et Valentino Brzostowski notario actorum praesentium". Huic obligationi V. Kuczborski satisfecit obtinendo litteras pergamenas datas Romae 24 I 1569, ut notatur in iisdem Actis Capitularibus f. 134 sub die 18 II 1569.

<sup>676</sup> Anno insequente impressus est liber, qui "Katechizm albo nauka wiary i pobożności krześcijańskiej" [Catechismus seu doctrina fidei et pietatis christianae], inscribitur Kraków, Mikołaj Scharfenberger, 1568.

<sup>677</sup> Iacobus Savelli († 1587), card. ab a. 1539, ab a. 1560 viceprotector regni Poloniae.

<sup>678</sup> De legatione apostolica scribit.

<sup>679</sup> Michael Bonelli.

<sup>680</sup> I Reg. 22.

Sigismundo Augusto Poloniae Regi.

Carissime etc. Nefaria flagitii indignitate Duditii, Quinqueecclesiensis epi<sup>681</sup>, qui evanescens in cogitationibus suis traditus est in desideria cordis<sup>682</sup>, in immunditiam, eo magis commoti sumus, quod veremur, ne multi, praesertim in isto Regno, et nefandae eius coniunctionis exemplo et falsae contagione doctrinae in turpitudinis voraginem demergantur. Cuius seditiosum ingenium ac rerum novarum cupidum, cum nihil in eius vita elucere audiremus, quo ad veram Religionem ac virtutem homines incenderentur, ne in perditum aliquod facinus erumperent, semper timuimus. Itaque cum se ipsum aperto modo dediderit passionibus ignominiae, qua faeditate, qualis item antea esset apparuit, Maiestatem Tuam oramus et obsecramus, ut per viscera misericordiae Christi Domini eam pestem e Poloniae finibus eiiciendam curet.

Moveat te Dei Omnipotentis gloria, quam una cum Sacrosanctae huius Sedis auctoritate et episcopalis officii dignitate immani illo nuptiarum scelere violavit. Cave existimes temerariam illam turbulentamque naturam, que tam impie et agendo et loquendo a Deo defecerit, ullam Regum aut Principum rationem habituram esse. Cogita, quantum isti provinciae periculum immineat, in quam libera consuetudo haereticorum ea [242v] adhuc mala importavit, quae et Maiestas Tua dolenter intelligit, neque nos possu[mus] sine summa animi nostri molestia meminisse. Quod si tantum caeteri haereticae pravitate magistri nocuerunt, quid censet istum esse facturum, qui facillimam escam ad capiendos homines obscenitatum, in quibus ipse volutatur, intemperantiam impudenti lingua tanquam flabello ventilabit. Quare nihil se dignius, nihil nobis gratius facere potest, quam proiectum istum sathanae ministrum a suorum populorum pernicie remove. Quo facto catholicae suae fidei, quam habemus magnam opinionem, adeo confirmabit Maiestas Tua, ut Deo adiuvante pios conatus, reliqua etiam, quae in Regnum istud monstra invaserunt, magna cum tui nominis gloria e medio sublata iri confidimus. Ut vero Poloniae veterem aliquando verae pietatis laudem recuperare possit, et divina ope, quam orationibus nostris implorare non desinemus, et humanis etiam viribus, quantum ipso Deo adiutore poterimus, adnitemur. Datum Romae, apud S. Petrum etc., die V Iulii 1567, Anno secundo<sup>683</sup>.

<sup>681</sup> Vide N. 65, 75-77.

<sup>682</sup> Cfr. Rom. 1, 24.

<sup>683</sup> Huius brevis scribendi Martinus Cromerus auctor esse putabatur: "Il vescovo Cromero scrive di Pollonia qua et cerca col mezo dell'agente del Re [id est Georgii Ticinii], che'l Papa scriva al Re di Pollonia che non lasci stare nel suo Regno il Vescovo delle Cinque Chiese. Et si dice che Sua Santità scriverà" (Prosper comes d'Arco, nuntius imperatoris, Romae 5 VII 1567- autogr. Wien, HHStA, Röm. Korrespondenz 32, fasc. 2 f. 1v). Ibidem in f. 3r invenitur adnotatio: "Ex litteris D.ni Martini Cromeri, Cracoviae 7 Iunii scriptis: Quinqueecclesiensem, qui norunt Tridenti et alibi non mirantur factum, Caesar iniquo fert animo, sicut audio. Curandum est, ne ei sit locus privato in Polonia; vereor, ne multos depravaret. Hic non est id curae, quibus esse deberet".

## A. 13.

**Card. Ioannes Franciscus Commendone**  
**card. Michaeli Bonelli**

[Romae, post 9 VII 1567]

*Respondet ad ea, quae petit ab ipso summus pontifex de vita et moribus promovendorum ad episcopatus Luceoriensem et Mednicensem, ipsosque commendat confirmandos.*

**Min.:** olim in Città di Castello, AMG, ms. 51 f. 82r-83v (hodie non invenitur). Min. cum multis correcturis ad stilum solum pertinentibus, in Ioannis F. Commendone cancellaria alia manu factis, quae cum difficiles sint lectu, tertia manu saeculo XVIII (Hieronymi Lagomarsini SJ?) partim in margine sunt transcriptae. Eadem manu additum in f. 83v: "1567 pontificato di Pio V, dal 1566 al 1572. Lettera del Commendone al card. Alessandrino dopo che già era stato in Polonia la prima volta, che fu nel 1565". Initium epistolae in fine minutae adscriptum legitur.

Ho ricevuto la lettera di V.ra Signoria Ill.ma con la nota di due nominati del Ser.mo Re di Polonia<sup>684</sup>, delli costumi de quali N.ro Signor mi comanda ch'io scriva quello che sento et dica insieme il parer mio circa l'espeditiioni di queste Chiese. Il che io ho fatto con l'alligata scrittura, rimettendomi humilmente al sapere et iudicio di Sua Beatitudine et basciando le mani della Signoria V.ra Ill.ma.

Delli due nominati del Ser.mo Re di Polonia, l'uno per la Chiesa Luceoriense, l'altro per la Mednicense, il primo Victorinus Wyerzbyzchi, Vescovo Mednicense, fu promosso a quella Chiesa mentre io ero in Polonia<sup>685</sup>, et questa fu la prima Chiesa che vacava in quel Regno dopo la confirmatione del Concilio di Trento. Io feci ogni opera accioché l'eletto facesse la profession de la fede, secondo la forma, et la fece, talché nel processo ch'io formai allhora il nominato non pativa altro difetto che di non esser graduato, come richiede il Concilio. Nondimeno, perché essendo lui tenuto de più dotti di Littuania, dove non è costume di pigliar grado di dottore, né in leggi né in theologia, et dove è sì grande il numero de gl'heretici, che si prova gran fatica per trovare persone catholiche, nonché habbian tutte le qualità ri-

<sup>684</sup> Vide supra A. 7. et A. 8. Epistula haec card. Michaelis Bonelli ad Ioannem F. Commendone data est Romae 9 VII 1567: "Essendo venute nuovamente due nominationi di Polonia, N.ro Signore desiderarebbe intender dallei le qualità delle persone nominate et descritte in questo incluso foglio, potendolo facilmente sapere, et l'opinion sua ancora sopra queste speditiioni" (or. AV, Lett.Principi 25 f. 168r).

<sup>685</sup> A. 1565.

chieste ad esser Vescovo, fu confermato. Come egli si sia portato dipoi nel governo di quella Chiesa, non lo so, perché mentre io stetti in quel Regno, non vennero le bolle de la confirmatione, et fin a tanto che non venissero io con ogni diligentia procurai ch'egli s'astenesse dall'administratione. Et lui sene astenne<sup>a)</sup>. So bene che questa provincia di Samogitia, dove è la Chiesa Mednicense, havrà gran bisogno di un buon Vescovo, perché non essendo più di circa 150 anni che quel paese ricevè il battesimo<sup>686</sup>, vi si trovano ancora alcuni che adorano il sole, gl'arbori, serpi et fuoco et simil cose, parte per ostinatione di quelle genti barbare, et parte per negligenza de Vescovi. Né minor bisogno ha la provincia di Volhinia, dov'è l'altra Chiesa, Luceo-riense, alla quale lui hora dimanda d'esser transferito, perché deve esser anchora assai tenuta di molti heretici et molti del Rito Greco et alcuni Armeni. Et quando io la visitai, vi dieddi ordine a molte cose, le quali non so come poi siano state osservate, perché il Vescovo d'allora<sup>687</sup> era molto poco atto per Vescovo.

Il secondo nominato, Georgius Petcovius, è stato da me conosciuto in Corte del Re, ma non però in modo ch'io ne possa dar testimonio. Onde io non ho voluto scriverne a V.ra Signoria Ill.ma anchora che ne sia stato pregato con più lettere; et fra l'altre d'un Canonico della medesima Chiesa Mednicense, il quale è Spagnolo et già gran numero d'anni habita in quel Regno et tenuto per molto catholicico<sup>688</sup> et V.ra Signoria Ill.ma vederà quel ch'egli mi scrive per la sua lettera, che le mando con questa<sup>689</sup>. Io veramente se son venuti costì i processi et le scritture necessarie, le quali mons. Nuntio havrà, com'io credo, fatte far diligentemente<sup>690</sup>, et che non vi sia altro manchamento che di non esser costoro dottori in theologia o in iure canonico, crederei che si dovessero confirmare. Ma quanto alla dimanda del dottor Georgio di poter ritenere due beneficii, non sapendo che beneficii siano questi, né che ragioni egli allegghi per ritenerli, non posso risponder altro, salvo che far fede alla Signoria V.ra Ill.ma che una delle principali considerazioni ch'io hebbi in Polonia circa la pluralità de beneficii, fu che per questa via di levar la pluralità, molti beneficii non capitassero in mano d'heretici<sup>691</sup>.

<sup>686</sup> Dioecesis Mednicensis erecta est a. 1417.

<sup>687</sup> Stanislaus Narkuski, a. 1563 ad episcopatum Samogitiensem designatus, a. 1564 a papa confirmatus, cum in Samogitiam iter ingrederetur, ante 13 II a. 1565 mortuus est.

<sup>688</sup> Petrus Roysius (Ruys de Moros), qui ab a. 1542 erat in Polonia.

<sup>689</sup> Non invenitur.

<sup>690</sup> Vide N. 67.

<sup>691</sup> Hoc praesertim argumento utebatur illis temporibus etiam clerus Poloniae, petens liberationem a decreto Tridentino super pluralitate beneficiorum (vide Wierzbowski JU, p. 258-261).

## A. 14.

**Interrogationes  
porrectae a Iulio Ruggieri  
testibus in processu informativo  
de vita et moribus Stanislai Karnkowski  
in episcopum Vladislaviensem promovendi**

[Petricoviae, paulo ante 21 VII 1567]<sup>692</sup>.

*Interrogatus sub iureiurando respondere debet: utrum sciat de ecclesia cathedrali Vladislaviensi et eius ordinatione, de dignitate senatoria episcopis Vladislaviensibus competente, de electione episcopi, vacatione occurrente, a capitulo ex voluntate papae et regis facta, de Nicolai Wolski immediati episcopi ordinarii obitu; an noscat vitam, conversationem et mores electi et a quo tempore testi notus sit; an sciat de munere eius sacerdotali et quo modo officia sacerdotis et pastoris expleverit; an testis putet electum apta conversatione et indole conspicuum et iuribus et dogmatibus ecclesiasticis satis exercitatum esse; an electus principia fidei comprobet et defendat et quomodo testis vitam electi noverit.*

**Cop.:** Kraków, AKKK, Libri Archivi, ms. 6 p. 6-10.

Principio quaeratur a singulis testibus medio eorum et cuiuslibet ipsorum iuramento corporali:

Num sciat, quod in Regno Poloniae et provincia Gnesnensi a sexingentis citra vel ultra annis, alias ab eo tempore, quo Regnum Poloniae dedit nomen Christo, seu fidem christianam coepit profiteri, fuit et est esseque consuevit inter ceteras Ecclesias Cathedrales quaedam Ecclesia Cathedralis communiter appellata Ecclesia Cathedralis Vladislaviensis<sup>693</sup>, habens (salva vacatione temporibus suis) pro tempore Episcopum ut caput, Praepositum, Archidiaconum etc. et Canonicos praebendatos, Capitulum repraesentantes ut membra, longamque et latam Dioecesim aliaque insignia Cathedralem Ecclesiam denotantia.

Item num sciat, quod ab eisdem temporibus et per dicta tempora fuit semper de more et observata consuetudine in eadem provincia et Regno Poloniae diutissime tenta, quod Episcopi Vladislavienses pro tempore existentes fuerunt semper de consilio et ordine senatorio Regni Poloniae,

<sup>692</sup> Cfr. supra, N. 72.

<sup>693</sup> De hac dioecesi non est mentio ante initium saeculi XII.



habentes locum et vocem in senatu, a capite in ordine quartum, hoc est post Gnesnensem et Leopoliensem aepos et epum Cracoviensem primum.

Item num sciat, quod ab eisdem temporibus et per dicta tempora, de more, usu et consuetudine praedictis, occurrente vacatione dicti episcopatus Wladislaviensis electio Episcopi semper spectabat et pertinebat ad Capitulum Ecclesiae Wladislaviensis etc., accedente ad id assensu Regiae Maiestatis Poloniae; ea nominatio illius ecclesiae concessa sit Maiestati Regiae a Summo Pontifice sive Sancta Sede Apostolica, quod ea dignitas sit una de senatorio ordine Regni primario.

Item num sciat, quod quondam Rev.mus olim Nicolaus Volski, ultimus et immediatus ipsius Ecclesiae possessor, anno praesenti, videlicet 1567 die 3 mensis Martii diem clausit extremum<sup>694</sup>.

Item num sciat, quod idem Capitulum dictae Ecclesiae Wladislaviensis, cupiens eidem suae Ecclesiae pastore, sic ut praemittitur orbatae, provisum iri, supplicationibus et precibus a clero et populo ad Deum per Civitatem et Dioecesim publice et privatim cum ieiuniis et orationibus pro impetrando bono et vigilantia pastore [7] diligenter fuis, ac omnibus et singulis, qui ad promotionem seu electionem novi pastoris quodcumque ius et quacumque ratione a Sede Apostolica vel alias a iure se habere praetenderent, per edictum publicum pro certa die et termino competenti ad hoc statuto, vocatis, et alias servatis de iure servandis, accedente tamen ad hoc expresso consensu Maiestatis Regiae Poloniae, ad quam, concessione Sedis Apostolicae, pertinet nominatio, eo quod ipsa dignitas sit, ut praemissum est, de senatorio ordine primario, Rev.mum d.num Stanislaum Carnkowski, iuris utriusque Doctorem, archipresbyterum, ex legitimo matrimonio eodemque nobili progenitum, aetatis legitimae, nempe annorum 40 et aliquot<sup>695</sup>, vita et moribus conspicuum, et in litteris bene versatum; alias habens perspectam illius idoneitatem et vitae integritatem ac laudabilem conversationem, testimonio piorum proborumque virorum comprobata, in pastorem illius Ecclesiae, quatinus id Sanctae Sedis Apostolicae placitum fuerit, et sub illius in omnibus approbatione et non alias, aliter, nec alio modo, cessante quovis humano favore aut simoniaca pravitate, elegit et promovendum statuit, prout in Dei nomine eligit et promovet.

Item num vitam et conversationem ipsius D.ni Stanislai electi ab ineunte aetate noverint, et in quibus studiis versatus fuerit, et quomodo in aula Regia agens Referendarium et maiorem Secretarium Regni sese conservaverit, et cum quibus etiam nunc, an cum catholicis, piis et religiosis viris conversetur. Dicat quilibet testis, an pauperum et pupillorum ac oppressorum defensor fuerit et Ecclesias ac Monasteria eorum iuraque ac libertates semper potenter tutatus sit.

<sup>694</sup> Cfr. N. 49.

<sup>695</sup> Stanislaus Karnkowski tunc erat quadraginta septem annos natus.

Item a quo tempore dictus Electus testi sit notus, quomodo et ubi contraxerit eius notitiam.

Item an illum sacerdotem esse sciat et a quo tempore.

Item an sacra soleat saepius et devote celebrare.

Item an Horas Canonicas soleat quotidie orare vel illas intermittere.

Item an sit tenax et avarus, vel liberalis et misericors.

Item an habeat in familia sua aliquem sectarium.

Item an haereticorum familiaritate delectetur.

Item an aliquem sine peccato plura beneficia incompatibilia, sine Sedis Apostolicae dispensatione, obtinere et residentiam omittere posse existimet.

Item an agens ipse D.nus promovendus nunc et antea circa Ecclesiam suam Parochialem in Piotrcow, munus boni pastoris diligenter obibat et ex sese bonum exemplum suis parochianis et subditis praebendo, haereticos ab ovili suo gnavigatorum propulsando, scandala, vitia et excessus subditorum sedulo corrigendo etc.

Item num propter animadversionem huiusmodi in haereticos et scandalosos odium et invidiam malevolorum multorum sibi conciliaverit vel gratiam.

Item num speret vel credat eum futurum esse bonum, pium et pauperes amantem Episcopum ac muneris sui episcopalis non segnem custodem.

Item num sciat aut credat testis eum esse natura prudentem, docilem, moribus temperatum, vita castum, sobrium et suis negotiis semper caventem, humilem, affabilem, [8] misericordem et in lege Domini instructum ac in Scripturarum sensibus cautum, necnon in dogmatibus ecclesiasticis exercitatum.

Et ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum esse confirmans totamque Trinitatis unitatem, deitatem coessentialem et consubstantialem et coaeternam et coomnipotentem praedicans; si etiam singulas quasque in Trinitate personas plenum Deum, et totas tres personas unum Deum, si etiam incarnationem divinam non in Patre, neque in Spiritu Sancto factam, sed in Filio tantum credat, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, Deus verus ex Patre esset, et verus homo ex matre, carnem ex matris visceribus habens et animam humanam, rationalem, simulque in eo utriusque naturae, id est Deus et homo una persona, unus Filius, unus Christus, unus Deus, Creator omnium quae sunt, Auctor et Rector et Deus cum Patre et Spiritu Sancto omnium creaturarum; qui passus est pro salute nostra carnis passione et mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suae receptione et vera animi resumptione, in qua veniet iudicare vivos et mortuos,

Quaeratur etiam a testibus, si sciunt, quod idem Electus credat Veteris et Novi Testamenti, id est legis et prophetarum ac apostolorum unum eundemque esse Auctorem, ac demum vivos et mortuos iudicaturum.

Item quaerendum est etiam ab eisdem testibus, num sciant, quod credat idem promovendus seu Electus huiusmodi, quam gestamus carnis et non alterius, resurrectionem; si etiam credat iudicium futurum et recepturos singulos pro his, quae in carne hac gesserint, vel poenas vel praemia; si etiam nuptias non prohibeat, si secunda matrimonia non damnet; si carnum perceptionem non culpet; si poenitentibus reconciliatis communicet; si in baptisate omnia peccata, id est tam originale quam illa, quae voluntarie admissa sunt, dimitti credat.

Item quid sentiat D.nus promovendus de Ecclesia et de eius auctoritate et ubi sit; et an credat esse visibilem et invisibilem.

Item num credat hanc solam veram esse Ecclesiam Catholicam, in qua est unanimes et communis professio doctrinae evangelicae et apostolicae secundum intellectum et expositionem sanctorum Patrum et diudicationem et determinationem generalem Conciliorum ab Ecclesia receptorum, et in qua est administratio Sacramentorum secundum catholicam traditionem, in Ecclesia occidentali hactenus pie et laudabiliter observata; quae et non in angulo aliquo orbis terrarum conclusa, sed in unitate doctrinae et Sacramentorum communionem in vinculo pacis diffusa est et propagata per totum terrarum orbem.

Item num credat in hac Ecclesia Catholica nos omnesque alios esse, qui in hac concordia, communionem et pace sub oboedientia unius Summi Pontificis [9] et Sanctae Sedis Apostolicae vivimus, vel an putet e diverso, Ecclesiam esse Lutheranos vel Buceranos vel Calvinianos et his similes sectarios, qui Ecclesiam, quam nos ut Catholicam et Apostolicam agnoscimus, execrantur atque adeo non Christi, sed Antichristi Regnum vocare non verentur.

Item num sentiat etiam iustificationem hominis constare ea sola fide, qua quis credit sibi non imputari peccata propter Christum, an potius nobiscum credat iustificationem esse communicationem iustitiae Christi, non solam eius imputationem, sed actualem regenerationem et renovationem mentis per Spiritum caritatis, quo demum per fidem accepto, ex iniustus iustus efficitur et quae iusta et sancta sunt operamur, peccatis Christi merito condonatis.

Item num credat esse septem Sacramenta, videlicet Baptismi sacramentum, Confirmationis sacramentum, Eucharistiae sacramentum, Poenitentiae sacramentum, Ordinis sacramentum, Matrimonii sacramentum et sacramentum Extremae Unctionis infirmorum; et quod haec Sacramenta conferant gratiam non ponenti obicem; vel an e diverso credat, tantum duo esse sacramenta: Baptisum et Eucharistiam.

Item num credat in Eucharistiae sacramento sub qualibet specie esse verum corpus et verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi, substantia panis et substantia vini, aqua mixti, in corpus et sanguinem Christi virtute verborum consecrationis transsubstantiatis.

Item an credat veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia esse permanentem et non in solo usu, sicut Baptismi sacramentum, consistere; et propterea posse nos et debere hoc Sacramentum pro infirmis reservare et in eo Christum illic praesentialiter se exhibentem adorare.

Item an etiam credat laicis sufficere ad salutem Communionem sub una tantum specie, ut sub qua revera continetur totus Christus.

Item an credat missam esse Sacrificium novae legis, in qua non solum conficiatur, sed et Deo Patri repraesentative offeratur, non cruento quidem, sed incruento et commemorativo sacrificio, corpus et sanguis, tam pro vivis quam pro defunctis.

Item an credat S. Petrum fuisse principem Apostolorum et Christi Vicarium et Romanae et Catholicae Ecclesiae Summum Pontificem, et tales quoque, qui ei canonice in Cathedra sua successerunt et succedunt, quamvis sint longe inferiores merito.

Item an credat a tali Pontificis oboedientia sine schismate non posse discedi, cuius edictis parere atque illius Legatos et Nuntios revereri an christifideles debeant.

Item an credat usum imaginum, tam crucifixi Domini quam Sanctorum, non modo licitum, sed et valde utilem esse in Ecclesia, maxime in usum idiotarum, pro admonitione et rememoratione gestorum Christi et Sanctorum suorum et pro exercitatione pietatis et imitatione ac veneratione illorum.

Item an credat Sanctorum, qui apud Deum vivunt, veras reliquias reverenter esse habendas et venerandas.

[10] Item an credat statuta ieiunia et ferias indictas ab Ecclesia religiose esse observanda, nec posse ea violari sine peccato, nisi suadeat et poscat necessitas per pastorem seu ordinarium curatorem ante comprobata.

Item an credat votum perpetuae castitatis et reliqua vota monastica, paupertatis et oboedientiae, consentanea esse iuri Divino et Evangelio Christi, ita quod obligent praestantem in foro conscientiae ad sui observationem sub poena damnationis aeternae, et de illorum violatoribus scriptum esse: damnationem habentes, quia priorem fidem irritam fecerunt<sup>696</sup>.

Item an credat in omni Ecclesia, tam Graeca quam Latina, a temporibus Apostolorum sacris semper canonibus prohibitum fuisse his, qui iam ad presbyterii ordinem promoti fuissent, matrimonium contrahere, et qui secus fecissent, ab omni ministerio et sacerdotio depositos semper fuisse.

---

<sup>696</sup> 1 Tim. 5, 12.

Item an credat illos esse sacrilegos et pauperum Christi necatores, qui accipiunt, occupant et tenent et sibi vendicant bona Ecclesiarum Deo dicata, seu in testamentis ad pias causas pauperibus Christi relicta; esseque tales occupatores aeternae damnationis reos, nisi faciant restitutionem.

Item de indulgentiis et veneratione Sanctorum quid sentiat.

Item an decreta Concilii Tridentini in aliquo contemnat vel illa omnino observanda censeat.

Item quid sentiat de purgatorio, num sit aliquis locus purgandarum animarum post mortem et an altaris sacrificio, orationibus et eleemosynis fidelium iuvari possint, praesertim eorum, qui fideles decesserunt et ante obitum nondum satis expiarunt maculas scelerum suorum per poenitentiam.

Quaerantur singuli testes circa singulos articulos dicti sui et an noverint vitam et conversationem promovendi, et quomodo eum noverint: usu vel consuetudine aut convictu etc. vel familiaritate aut familiaribus colloquiis.

#### A. 15.

**Franciscus Sunyer SJ, viceprovincialis Poloniae**  
**Francisco Borgia SJ, praeposito generali**

Heilsbergae, 16 VIII 1567.

*Petit secreta, nomine card. Stanislai Hosii, ut intercedat apud summum pontificem, ne is debeat praesidere in synodo provinciali, in qua forte tractabitur de concordia inter catholicos et haereticos nec non de divortio regio. Si pontifex has causas non putet sufficere ad synodum differendam, cardinalem rogare, ut saltem accurate instruatur, quomodo his in rebus se gerere debeat. Durante synodo opera Melchioris Biglia, nuntii apud caesarem, uti eum malle, [185v] "perché etiam il trattar con questo nuncio di adesso, cioè il Protototario Rugiero, gli par molto difficile per haverlo in molte cose trovato huomo di sua testa et nel qual finalmente (ultra de la pochissima stima che sempre di lui se è fatta in questo Regno) si desidera in agibilibus maggior prudentia, più volentiero Mons. Cardinale usarebbe della opera di quel nuncio che sta appresso dil [sic] Imperatore per quel poco di tempo che la synodo durarà V.ra Rev.da Paternità per amor del Signore procuri con tutta la prestezza possibile de liberar al' Ill.mo Cardinale di questo travaglio di mente, che al presente lo molesta non poco.*

**Autogr.:** Roma, ARSI, Germania 148 f. 185r-v. In f. 186v inscriptio et vestigia sigilli.

### A. 16.

**Iacobus Uchański**  
**card. Stanislao Hosio**

Lovicci, 4 IX 1567.

*Petit, ut facultates suas legati a latere sibi perscribat. Notum facit pontificem, propter accusationes nuntii apostolici, infensum sibi esse, maxime ob constitutionem de annatis Romam non mittendis. Petit, ut innocentiae suae testimonium perhibeat.*

**Or.:** Kraków, BCz 1609 IV p. 475-477. In p. 478 inscriptio et vestigia sigilli. Ibidem inveniuntur duo duplicata originalia eiusdem tenoris: in ms. 1609 IV p. 479-481 (in p. 482 inscriptio, vestigia sigilli et annotatio: "redditae 11 Octobris, responsum 13 Octobris"), die 7 IX datum; alterum in ms. 1608 IV p. 319-321 (in p. 322 inscriptio, vestigia sigilli et annotatio ipsius Iacobi Uchański manu scripta: "Alteras has prioribus pares iterum mitto, ne forte incuria aliorum non perferantur seu non transmittantur"), die 9 IX datum.

**Ed.:** Wierzbowski U III, p. 201-204.

Ill.me et Rev.me in Christo Pater et Domine ac Patrone summa cum observantia colendissime.

Post obsequiorum meorum in gratiam Ill.mae et Rev.mae Dominationis V.rae commendationem. Immortales ago habeoque gratias Ill.mae ac Rev.mae Dominationi V. rae, quod ad meas litteras humanissime mihi respondere dignata sit suis, quae nudius quartus mihi sunt redditae per D.num Solikowski<sup>697</sup>, ab Aula Regia transmissae. Caeterum, illud molestius accidit, quod neque in eisdem ullam eius rei mentionem Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra fecerit, quod renunciata fuerit Legatus a latere, quemadmodum nobis aliunde scribitur. Quo nomine Ill.mae ac Rev.mae Dominationi V.rae gratulamur et nobis ipsis gaudemus, qui Ill.mam et Rev.mam Dominationem V.ram suscipimus et reverenter observamus. Ego quoque maiorem in modum peto, ut Ill.ma Dominatio V.ra suas facultates, a Ss.mo Domino Nostro sibi concessas, mihi perscribere atque significare

<sup>697</sup> Ioannes Demetrius Solikowski (1539-1603) in familia "protestantium" adolescebat, fide catholica accepta in aula Iacobi Uchański commoratus est, a. 1564 sacerdos ordinatus, secretarius regius est nominatus, ab a. 1583 archiepiscopus Leopoliensis.

dignetur. Nolo clam esse Ill.mam ac Rev.mam Dominationem V.ram, quod cum Rev.dum D.num Sedis Apostolicae Nuntium submonerem, ut apud Sanctissimum Suas partes interponeret, quo Sua Sanctitas Rev.mos D.nos Episcopos ad celebrationem Synodi adhuc efficacius hortari dignaretur, respondisse eum mihi cum indignitate Ss.mi Domini Nostri id fore, ideoque facere recusasse. Ego vero quorsum id tendat et quid deinceps facere debeam, plane non intelligo. Praeterea cum in Conventione proxime praeterita Petricoviae a Rev.mo D.no Nuntio cum aliis Rev.mis D.nis Episcopis fuissem interrogatus, quaenam viae potissimum ac rationes ineundae nobis viderentur ad recuperandas ecclesias ab haereticis occupatas et reducendos earum ministros, suggesseram ego consilium eiusmodi, quod etiam Rev.dis D.nis Episcopis magnopere placebat, ut nimirum ipse Rev.mus D.nus Nuntius per se et nomine Ss.mi Domini Nostri cum Sacra Regia Maiestate ageret, quo Sua Serenitas dignaretur iustitiam nobis administrare, dum citarem ad instantiam Dei Omnipotentis et Instigationem Ordinariorum atque parrochorum [476] cum ea causa districtum habere non possit, quemadmodum apud nos in nostro vernaculo dicitur, hoc est, nulla praetendi possit evocatio extra districtum, si recta praeteritis iudiciis terrarum et districtuum, ad praesentiam Regiae Maiestatis, prophanatores Ecclesiarum et earundem bonorum occupatores citarentur, sicque in eam spem, iam ego quendam Phalieccki, insignem Nobilem, qui violenter Ecclesiam in villa Gora<sup>698</sup> Archiepiscopali violaverat, et proventus ademerat, ad instigationem meam et Parrochi cittari procuraveram. Verum hac in parte nullum conatum, nedum profectum aliquem, ex Rev.do D.no Nuntio cognovimus. Ne quid vero Ill.mam et Rev.mam Dominationem V.ram celare videar, quod ad me pertineat, infelicitatem meam apud Sedem Apostolicam V.rae Ill.mae et Rev.mae Dominationi exponere visum est. Sua Serenitas ad omnia, quae petieram adiutus et commendatus, tam Ill.mae Dominationis V.rae quam Rev. di D.ni Nuntii litteris, negative mihi respondit, et nihil consequi potui, nedum eorum, quae gratiae fuerant, verum neque illorum, quae iustitiae. Et nunc non mihi modo verum etiam amicis nostri Ordinis Roma scribitur mihi Ss.mum Dominum Nostrum infensorem factum; causam non perscribunt, ob quam id fieret, sed tantum monent nonnullos, ne mea commendatione utantur, si velint bene consultum rebus suis apud Ss.mum Dominum. Ego vero, unde id mihi conflatum sit, non assequor, praesertim de Ill.mae Dominationis V.rae integritate, candore erga omnes et singulari benevolentia, atque clementia erga me optime persuasus, non puto quicquam ab Ill.ma Dominatione V.ra ad eam offensionem Ss.mi Domini Nostri animi erga me allatum esse. Sed fortasse Rev.mus D.nus Nuntius in me derivare voluit eam invidiam, quam apud Sanctissimum incurrere videbatur, quod non occurreret constitutioni de

<sup>698</sup> Góra, villa in palatinatu Calissiensi prope oppidum Żnin sita.

annatis Romam non mittendis. Sed ego coram Deo affirmare possum me extra [477] omnem culpam esse, non modo quod non consentirem in eam pragmaticam, verum etiam quod quantum in me fuerat, impedirem, et Rev.mum D.num Nuntium, descriptis ex statutis prioribus de hac re Constitutionibus, admonerem fere quinque hebdomadas ante, ut mature invigilaret et Maiestatem Regiam praemoneret de ea re ne consentiret, quamvis tum nihil minus inter Nuntios terrarum agitari crederet mihi que diffideret, asserens nihil se ex aliis de hac re persensisse. Et cum haec lex promulgaretur in senatu aperte restiti et protestatus sum nomine meo atque universi cleri nequaquam nos consentire et instrumenta protestationis coram Notario publico et testibus fieri procuravi. Et apud Maiestatem Regiam nihil obmisi eorum, quae videbantur pertinere ad expungendam eam legem quamvis non successerit. Et Rev.mo D.no Electo<sup>699</sup> Wladislaviensi autor fui, ut aurum solitum Romam mitteret pro Confirmatione sui, Rege annuente. Insuper qualem voluit et praescripsit Rev.mus D.nus Nuntius recognitionem in eam de consensu negato huic Constitutioni subscripsi et obsignavi. Quid vero ultra facerem neque nunc videre possum. Itaque magno opere peto ab Ill.ma et Rev.ma Dominatione V.ra dignetur primum pro sua sapientia de veritate ipsa hic in patria nostra investigare et postea Romae testimonium veritati et innocentiae meae perhibere, ut, si possibile sit, Ss.mus Dominus Noster eam inductionem animi erga me deponat et meliora de me sentiat, neque patiatur calumniis apud se deformari. Ego vero pro eo ac debeo, eam Ill.mae Dominationis V.rae gratiam promereri curabo. Haec ego ad Ill.mam et Rev.mam Dominationem V.ram confidentissime perscribo non dubitans, quin scripta mea dignabitur ita dispensare, ut nihil obsint, sed multo magis mihi prosint.

Cum his me et obsequia mea Ill.mae ac Rev.mae Dominationi V.rae diligenter etiam atque etiam commendo, quam optime sanam atque incolumem in quam plurimos annos multa vitae prosperitate frui desidero. Lovicii 4 Septembris Anno Domini 1567.

V.rae Ill.mae et Rev.mae

(<sup>a</sup>-servitor obsequentissimus  
Iacobus aepus Gnesnensis  
manu propria<sup>a</sup>)

<sup>a-a</sup>) *Autographum.*

---

<sup>699</sup> Stanislaus Karnkowski.



## A. 17.

**Pius V, pontifex maximus**  
**Valeriano Protasewicz, episcopo Vilenſi**

Romae, 6 IX 1567.

*Laudat eius studium in defendenda et propugnanda catholica religione.*

**Min.:** AV, Secr.Brev. 6 f. 214r, cum annotatione cancellariae in f. 215v: "Septembris 1567, anno secundo. Episcopo Vilenſi. Collaudatorium pro eius studio erga catholicam religionem et hortativum ut persistat etc".

Ven.li fratri Valeriano epo Vilenſi.

Ven.lis frater, salutationem. Gratum nobis sane fuit et iucundum id, quod ex dilecto filio Georgio Ticinio, camerario nostro et agente apud nos regio, audivimus, Fraternitatem scilicet tuam summo studio singularique pietate nostras et S.R.E. res et auctoritatem, prout catholicum decet antistitem, omni tempore in istis partibus iuisse catholicaeque religionis acerrimum defensorem ac propugnatorem extitisse, teque nostri et huius Sanctae Sedis observantissimum semper ostendisse. Itaque ea de re te, uti debemus, vehementer in Domino collaudamus, et ut in coepto et nunquam satis laudato proposito persistas catholicamque religionem, id est Dei Omnipotentis causam, pro virili tua istic, quemadmodum hactenus fecisti, etiam in posterum tuearis atque defendas, abs te studiose petimus. Nihil enim profecto laudabilius, nihil tuo officio congruentius, nihil certe Deo ipsi et nobis gratius vel acceptius facere potes. Pollicemur autem tibi nos tuae huius operae ac studii memoriam nunquam abiecturos. Tibi vero exploratum esse debet te tuae pietatis ac laboris Redemptorem nostrum amplum remuneratorem in coelesti patria habiturum. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., VI Septembris 1567, anno secundo.

Caesar Glorier[ius]

## A. 18.

**Andreas Dudith**  
**Francisco Krasieński**

Ex Gorlice, 9 XII 1567.

*Pro immutato amore post novum vitae institutum gratias agit. Vellet, ut Romani in aliis rebus industriam suam ostentarent neque communem quietem vexarent. Nuntio apostolico prudentissima consilia non displicuisse se non mirari. Qualis sit isthic de se opinio scire cupit. Fidem erga dominum clementissimum suam in dubium vocari se nolle.*

**Cop.:** AV, Lett.Principi 24 f. 228r-229r, manu secretarii nuntii Iulii Ruggieri scripta, cum adnotatione in f. 229v: "Avisi di Polonia". Epistula haec non habet inscriptionem, sed extat inter litteras Francisci Krasieński, qui tunc erat orator Regis Poloniae apud Imperatorem, ex quo conici potest ad eum esse scriptam. Inter acta eius impressa, epistula haec non invenitur.

Rev.me Domine et Patrone Observantissime<sup>700</sup>. Salutem et offitiorum meorum commendationem etc.

Quoniam Dominationem V.ram Rev.mam feci semper, ut debui, plurimi, ob eximias eius virtutes ac plane singularem bonitatem et sinceritatem amavi eam omni tempore omnique observantia ac cultu prosequutus sum. Quo fit, ut vehementer mutuo diligere ab ea optaverim, quod quia me consequutum videbam, quae est bonitas et humanitas eius, dici non potest, quantam animi laeticiam percipiebam. Quo magis nunc post novum vitae meae institutum angebar animo et magnopere pertimescebam, ne mutatio condicionis meae prioris Dominationem V.ram Rev.mam mihi ab amore ad odium traduceret. Quod quoniam, Dei beneficio, ex humanissimis eius litteris non evenisse intelligo, plane incredibili voluptate perfundor. Itaque ne longior in hac parte sim, maiorem in modum a Dominatione V.ra Rev.ma peto, ut in omni fortuna ac vitae meae genere pristinam mihi benevolentiam et gratiam suam conservet, qua neque optatius quicquam neque iucundius accidere mihi unquam poterit, me eodem amore et studio, quo antea, inserviendi sibi inflammatum sentiet. Prudentis est, et res humanas suis momentis ac ponderibus examinantis, amicorum eventis non ita commoveri, ut statim si quid committant, quod nobis non probetur, animos ab eis abalienemus. Credendum est fatis ac divina providentia res geri, in rebus praesertim, quae totam hominis vitam attingunt. Quo aequio-

<sup>700</sup> Franciscus Krasieński (1525-1577), annis 1565-1568 orator Polonus apud aulam imperatoris Maximiliani II, annis 1569-1574 vicecancellarius Regni, ab a. 1572 episcopus Cracoviensis.

res nos praeberere convenit iis, si qui a recto tramite aut prorsus aberrarunt, aut certe nobis aberrare videntur. Sed haec nolo subtilius disputare apud hominem prudentem, pium usque rerum edoctum, quam difficile sit in hac imbecillitate humanae naturae ita cursum tenere, ut plenis [228v] velis salva navi, cum omni acclamatione atque applausu, in portum perveharis.

Scribitur ad me variis ex locis, quam fulgurent, quam tonent, quam in me fulmina illa sua, nimium iam hebetata Romani exacuunt, quibus ego id consilii darem, ne capite omisso redivivum curarent. Habent ubi summam illam sapientiam, qua toti terrarum orbi formidabiles videri volunt, exercent. Satis magnum campum habent, in quo se suamque industriam ostentent. Quid me homuncionem, nulla doctrina, nulla auctoritate praeditum fodicant? quid territant? quid denique insaniunt? Quid feci? Uxorem duxisti, inquit; an eo facto Christum in crucem egi? Ex eorum me numero exemi, sponte in laicorum ordinem concessi, abieci omnem functionem Ecclesiasticam, quam mihi vetusti Ecclesiae canones poenam statuunt, eam mihi ipse irrogavi. Quid restat praeterea? Vitam privatam et solitariam sequor, nihil meditor, quod communem quietem perturbare queat, omnia mea consilia, omnes actiones ad summam moderationem et tranquillitatem refero. Nulli me sectae adiungo, nemini sum molestus. Quid me igitur divexant? Ferunt inter se aequissimo animo, et in fastigio etiam collocant fornicarios, adulteros et, quod horrendum est, sodomitas impurissimos atque alias omni pravaram voluptatum et scelerum genere cooptas pecudes, non iam dicam homines; me unius uxoris honestissimae atque pudicissimae maritum, in Dei timore, caste atque honeste viventem ferre non possunt?

O saeculum insipiens, et infacetum, libet enim ita cum poeta exclamare. Sed haec iam missa facio.

D.num Nuncium Apostolicum semper existimavi esse virum bonum et prudentem meique amantem<sup>701</sup>, pro[229r]inde non miror ei prudentissima Dominationis V.rae Rev.mae consilia non displicuisse. Quae utinam Romae quoque locum habuissent. Sed laterem lavant. Nam ut res habet, facta iam revocari nequeunt. Qualia isthic hominum sint de me praeiudicia, prorsus ignoro. Nam ad me non perscribuntur ab amicis, nisi quae levare molestiam queant. Quod tamen mihi permolestum est. Cupio enim etiam ea intelligere, quae propter hoc factum hominum de me sit opinio, quid divinent fore. Id si duobus verbis Dominatio V.ra Rev.ma attigerit in suis ad me litteris, si quas post hac scribere non gravabitur, gratissimum fecerit; scio enim ipsam nihil esse vulgare perscripturam, sed quod ex principum virorum sermonibus manare solet. Fidem erga Dominum Meum

<sup>701</sup> Iulium Ruggieri optime de Andrea Dudith sensisse card. Stanislaus Hosius ad Martinum Cromerum his verbis scribebat Heilsberga 23 VI 1567: "Nuntius [...] longe secus affirmat de Quinqueecclesiensi. Mire catholicum esse dicit. De coniugio ne cogitasse quidem unquam" (autogr. BJ, I p. 238).

Clementissimum meam in dubium vocari nolim; quod Romanos, in citatione, quam nondum vidi, impuro et mendaci ore conatos esse audio. Testor nobilissimam hanc nationem pene totam, testor conscientiam Principis mei, Reginae, Regis et omnium eorum, quibus acta et dicta mea omnia constant, me nunquam a fidelis subditi et servitoris ac consilarii, nunquam a viri boni et christiani ac publicae pacis et concordiae studiosi hominis officio vel latum unguem discessisse. Quod quia Dominationi V.rae Rev.mae quoque notissimum esse persuasum habeo, nihil addam amplius.

Iterum atque iterum oro, Dominatio V.ra Rev.ma benevolentiam mihi suam conservet ac si quando usus veniet, tum apud Caesaream Maiestatem, tum apud alios ostendat me a se amari. Quod reliquum est me meaque perpetua servitia in gratiam Dominationis V.rae Rev.mae officiose ac diligenter commendo. Datum ex Gorlicze<sup>702</sup> die 9 Decembris 1567.

Dominationis V.rae Rev.mae

Addictus Servitor  
Andreas Dudith

#### A. 19.

**Paulus Zajączkowski**  
**card. Stanislao Hosio**

Brzeziny, 17 I 1568.

*Nuntiat aepum Gnesnensem questum esse, quod nuntius Sedi Apostolicae minus aequae se deferret. Petit, ut ipse accusationes eius removeat. Rogat, cur ad colloquia episcoporum Petricoviae habenda nuntius non sit vocatus.*

**Autogr.:** Kraków, BCz 1608 IV, p. 358-360. In f. 362 inscriptio et sigillum.

Ill.me Princeps et Domine clementissime.

[...] Percensuit autem posthaec [d.nus archiepiscopus]<sup>703</sup> verbis plurimis iniurias et molestias, quibus nullo suo merito a D.no Nuntio afficia-

<sup>702</sup> Gorlice, oppidum in Polonia meridionali versus orientem a Cracovia situm.

<sup>703</sup> Iacobus Uchański.

tur, cum summa testificatione suo [sic] pro Catholicae Ecclesiae commodis, labore et diligentia [359]. Insuper addidit, quod nisi paulum ille de sua malignatione remittat seque Apostolicae Sedi minus aequae deferre non desistat, diligentiam omnem se, curam, laborem, quae in propaganda Ecclesia suscepit, imminuturum. Neque enim utrumque sine magna molestia persequi posse et simultatibus aliquod otium dare et inchoata sua in promovendis Ecclesiae bonis consilia terminare. Cum per Dei gratiam ex quo tempore isti se curare dederat, ut Ecclesiae Catholicae ministerium hominibus non minus vita quam eruditione dignis in dies augetur, eam cogitationem sibi non contemnenda initia dedisse. Iam enim et Lovicii reditus quosdam non exiguos Archiepiscopali mensae detractos in eum finem assignasse, ut professorum ex Collegio Societatis Iesu puerorumque certus in Seminario numerus aleretur, et apud Maiestatem Regiam precibus obtinuisse, ut bona Conventualia similes in usus convertere tuto liceret, ubi sumptus alicuius Ecclesiae Collegiatae tantum extendi non possint. Quam promissionem Maiestatem Regiam dextra porrecta sibi obsignasse fidemque suam Regiam obstrinxisse dicit, hoc solum addito, bonorum ex iusta parte ratio ut esset aliqua fundatorum voluntatis.

Petit igitur ab Ill.ma Celsitudine V.ra, ut causam hanc Ecclesiae salutarem conatusque fideles ipsius velit esse suis litteris Summo Pontifici commendatissimos, accusationemque minus iustam, qua per D.num nuntium isthic premitur, remove delereque non recuset<sup>704</sup>.

Hoc die, quo veneram ego ad Rev.mum, redditae sunt litterae D.ni nuntii Cancellario ipsius Zamoiski<sup>705</sup>, quibus id flagitabat, ut interesse possit vocatus maiorum<sup>706</sup> suorum exemplo sermonibus D.norum Episcoporum Petricoviae habendis. [360] Cura haec est mihi demandata, quamprimum venirem Cracoviam, ut referrem D.no nuntio nihil facturum fuisse libentius Rev.mum D.num Archiepiscopum, quam ut Rev.mum D.num nuntium Petricoviam evocasset, etiam voluntate confratrum hac in parte non expectata, si maturius litterae ipsius Cancellario redditae fuissent. Quamquam enim Rev.mi D.ni Cuiaviensis consecrandi causa eo sunt conventuri<sup>707</sup>, tamen et ordinationem istam illius praesentia condecoratam esse li-

<sup>704</sup> In hoc negotio ipse Stanislaw Hosio scripsit Lovicii 19 I 1568: "Mitto etiam Ill.mae et Rev. mae Dominationi V.rae litterarum exempla tam Summi Pontificis Pii Quarti in Domino defuncti et modernum Ss.mi Domini Nostri ac Regiae Maiestatis, quam mearum ad Rev.mum D.num Nuncium Apostolicum in negotio Seminarii Gneznae instituendi simul datarum, ipsiusque D.ni Nuncii Commissionis cum inhibitione Commissariorum, ut expendat et imprimis videat Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra, quo modo se gerat Rev.mus D.nus Nuncius Apostolicus in ea re, quae primum quidem Decreto Sacrosancti Concilii tam accurate multis verbis laudata et sancita est, Rev.ma Dominatione V.ra praesidente, deinde et per Ss.num dominum [Nostrum] mihi diligenter commendata vel potius demandata et per litteras ac per ipsum D.num Nuncium" (or. Kraków, BCz 1609 IV p. 713).

<sup>705</sup> Iosephus Zamoyski.

<sup>706</sup> Id est praedecessorum.

<sup>707</sup> De hoc conventu ipse Stanislaw Karnowski confirmatus epus Cuiaviensis Stanislaw Hosium fecerat certiore litteris Wolborii 29 XII 1567 datis: "Itaque in eo actu Consecrationis meae, cui diem dante Domino Petricoviae XXV Mensis Ianuarii proxime venturi constitui, cum Rev.mis D.nis

benter videret, et si quae de rebus Ecclesiae loquendi se praebuisset occasio, cum alio potius nemine quam cum illo de rebus his collocuturum fuisset. [...] Brzezini XVII Ianuarii anni 1568.

Ill.mae et Rev.mae Celsitudinis V.rae

perpetuus et obsequentissimus  
servitor Paulus Zaiączkowski

**A. 20.**

**Sigismundus Augustus, rex Poloniae  
Pio V pontifici maximo**

Cnissini, 8 II 1568.

*Scribit se postulatis eius de Quinqueecclesiensi et Kioviensi episcopis ob conservandam Reipublicae tranquillitatem hoc tempore satisfacere non posse.*

**Or.:** AV, Lett.Principi 31 f. 368v-369r. In f. 368r inscriptio et sigillum.

Beatissime Pater et domine clementissime. Post oscula pedum beatorum meique ac Regni et Dominiorum meorum commendationem.

Etiam atque etiam cogitanti mihi pro mea erga hanc Sanctam Sedem, iam inde a divi maioribus meis per manus mihi tradita observantia, equonam modo postulatis Sanctitati V.rae de Quinqueecclesiensi<sup>708</sup> et Kioviensi<sup>709</sup> satisfieri per me posse videretur, factum est, ut hactenus ad litteras Sanctitatis V.rae respondere non potuerim, praesertim in his occu-

---

Archiepiscopo Gnesnensi et Episcopo Cracoviensi [Philippo Padniewski], qui eo venturi sunt, dabo omnem operam, ut constituta et stabilita amicitia coniunctis animis in ea intendamus, quae optimum statum et regimen Ecclesiae Catholicae concernere videbuntur. De quibus omnibus reddam Ill.mam Paternitatem V.ram certiore. Caput hoc est: De modo, quo possimus Maiestatem Regiam pro parte nostra catholica retinere et de eo certi esse, ne si quid agere inceperimus, frustra vel infructuose incepisse videamur. Nec minor est illa cura, quod quidam sensu suo privato, inconsultis aliis Episcopis, in rebus Ecclesiasticis multa agunt infructuose, ne dicam ridicule, nec alius a sententia dimoveri potest, ut a processu desinat ad instanciam Omnipotentis Dei instituto, etiam monitus scriptis Ill.mae Paternitatis V.rae. Sunt et alia quaedam, quae videntur impedire utilem celebrationem eiusdem Synodi" (or. Olsztyn, ADWO, D 26 f. 67r).

<sup>708</sup> Andreas Dudith.

<sup>709</sup> Nicolaus Pac.

pationibus meis castrensibus<sup>710</sup>, ex quibus nunc demum videor aliquantum respirasse. Nunc quidem, cum omnia propemodum in consilium adhibuimus, multa etiam ex iis tentavimus, quae ad morem gerendum Sanctitati V.rae, sine motu et convulsione regni nostri pertinere viderentur, ita comperimus non magni negotii rem futuram fuisse de tollendis eiusmodi scandalis, de quibus tam diligenter Sanctitas V.ra ad nos scribit, si iam tum nascentibus ac orientibus eiusmodi malis obviam itum fuisset, per eos, qui tunc in speculis ecclesiae et reipublicae constituti dormitaverant et dormierunt. Verum hoc tempore adulto iam et propemodum maturo malo, quod quidem sine incommodo cum aliorum bonorum in republica, tum inprimis pacis et tranquillitatis publicae evelli vix potest, venit nobis in mentem eius consilii atque adeo praecepti dominici, quod nobis hodierno die<sup>711</sup> Ecclesia Sancta in Evangelio recitavit. Sineremus potius utraque crescere usque ad messem, quam temere colligendo zizania, evellamus forte et triticum<sup>712</sup>. Iam autem terrent nos quoque exempla haec recentia Gallica, ubi cum nihil in studio regum illorum christianissimorum ad recuperandam et vindicandam veram religionem, desiderari queat, nonnulla tamen ad praestandum pacatum et tranquillum reipublicae illius statum (quod dolenter admodum scribo) non immerito requiri posse videntur<sup>713</sup>. Quamobrem bona spe sum daturam mihi esse Sanctitatem V.ram hoc tempore veniam, si medicos non omnino ineptos imitatus, quiescere potius interim humores etiam pravos patiar, quam aut intempestive frustra commoveam aut bonis etiam ipsis humoribus periculi aliquid ex commotione aliorum creem. Equidem nihil magis opto, quam beatam illam et desideratam messem, qua Dominus per ministerium suorum angelorum, quos nos esse sacerdotes et verbi Dei ministros interpretamur, zizania a tritico separet et puritatem seminis sui, quod est Verbum Dei, Ecclesiae restituat. Quae res mihi quidem in his affectis rebus et desiderio meo et temporum iniquitati et sanctae ipsius Matris Ecclesiae benignitati accomodatissima esse videretur. Quam ad rem Sanctitati V.rae ex animo omne meum studium, curam, operam, auxilium defero, paratus nihilominus etiam manum regiam ad omnia admovere, quae ad tranquillandam Ecclesiam, sine reipublicae perturbatione pertinere videbuntur, sed eius quidem rei occasionem omnem a tempore ipso maxime petendam esse arbitror, cui ego nunquam profecto deero, idque tum ad laudem et gloriam divini nominis meumque ipsius adeo honorem et existimationem, tum etiam ut studium in hoc genere conatusque meos ipsi etiam Sanctitati V.rae videar voluisse

<sup>710</sup> Ab a. 1560 cum Ivano dicto Terribili, magno duce Moscoviae, bellum gerebat.

<sup>711</sup> In Evangelio Dominicae V post Epiphaniam.

<sup>712</sup> Mt 13, 29-30.

<sup>713</sup> De bello religionis in Gallia diu inter hugonotas et catholicos saeviente, primum sopito et postea mense Septembri denuo incepto, scribit.

approbare. Quam optime valere cupio cuique me et dominia mea ex animo commendo. Datum in Kniisiin die VIII Februarii. Anno Domini MDLXVIII.

Eiusdem Sanctitatis V.rae obsequentissimus filius

<sup>(a)</sup>Sigismundus Augustus Rex  
Poloniae manu propria subscripsi<sup>a)</sup>

<sup>a-a)</sup> *Autographum.*